

BIBLIOTHECA
SCRIPTORUM MEDII RECENTISQUE AEVORUM
I. FÖGEL ET B. IVÁNYI MODERANTIBUS
REDIGIT L. JUHÁSZ, SZEGED (HUNGARIA)

SAECULUM XVI.

ELIAS CORVINUS
IOANNIS HUNNIADAE
RES BELLICAE CONTRA TURCAS
— CARMEN EPICUM —

EDIDIT
OSCARIUS SÁRKÁNY

MCMXXXVII. — LIPSIAE — B. G. TEUBNER

BIBLIOTHECA SCRIPTORUM MEDII RECENTISQUE AEVORUM

I. FÓGEL ET B. IVÁNYI MODERANTIBUS
REDIGIT L. JUHÁSZ, SZEGED (HUNGARIA)

RM

SAECULA XII—XIII.

Anonymus, v. P. magister.
P. magister quondam Bele regis Hungarie notarius [vulgo Anonymus],
Gesta Hungarorum, ed. L. Juhász. 1932. — — — — — 5.40

SAECULUM XIII.

De orthographia (incerti auctoris), ed. L. K. Born. (Apparebit.)
Garlandia, Iohannes de, Integumenta fabularum Ovidii, ed. L. K. Born.
(Excuduntur.)

SAECULA XIII—XIV.

Dantes Alagherius, Epistolae, edd. Io. Nachod—P. Stern. (Apparebunt.)

SAECULA XIV — XV.

Ravenna, Iohannes Conversinus de, Epistolarum liber, ed. L. Smith.
(Excuditur.)
— Liber rerum memorandarum, ed. L. Smith. (Apparebit.)
Salutatus, Coluccius, De saeculo et religione, ed. B. L. Ullman. (Apparebit.)

SAECULUM XV.

Barbarus, Franciscus, Epistolae, ed. P. Gothein. (Apparebunt.)
— Orationes. Una cum orationibus ad eundem habitis, ed. P. Gothein.
(Apparebunt.)
Barius, Nicolaus—**Kostolan**, Georgius Polycarpus de—**Hungarus**, Simon—**Zagabriensis**, Georgius Augustinus, Reliquiae, ed. L. Juhász. 1932. — — — — — 1.50
Bonfinis, Antonius de, Rerum Ungaricarum Decades, edd. I. Fögel—B. Iványi—L. Juhász (in IV tomis).
Tomus I. — Decas I. Cum Introductione et tribus codicum reproductionibus 1936. — — — — — 14.—
Tomus II. — Decas II. 1936. — — — — — 13.—
Tomus III. — Decas III. 1936. — — — — — 13.—
Tomus IV. — Decas IV. et dimidia decadis V. et Index nominum. (Excuduntur.)
— Symposion de virginitate et pudicitia coniugali, ed. St. Apró. (Excuditur.)
Brandolinus, Aurelius Lippus, Dialogi, ed. P. Angyal. (Apparebunt.)
Callimachus Experiens, Atila. Accedunt opuscula Quintii Aemiliani Cimbrici ad Attilam pertinentia, ed. T. Kardos. 1932. — — — — — 1.70
Corsinus, Amerigus, Compendium in vitam Cosmi Medicis ad Laurentium Medicem, ed. L. Juhász. 1934. — — — — — 2.—
Cortesius, Alexander, De laudibus bellicis Matthiae Corvini Hungariae regis, ed. I. Fögel. 1934. — — — — — 2.—
Facius, Bartholomaeus, Invectivae in Laurentium Vallam, ed. R. Valentini. (Apparebunt.)

Vide paginas 3. et 4. involucris.

BIBLIOTHECA
SCRIPTORUM MEDII RECENTISQUE AEVORUM
I. FÓGEL ET B. IVÁNYI MODERANTIBUS
REDIGIT L. JUHÁSZ, SZEGED (HUNGARIA)

SAECULUM XVI.

ELIAS CORVINUS

IOANNIS HUNNIADAE
RES BELLICAE CONTRA TURCAS

— CARMEN EPICUM —

EDIDIT
OSCARIUS SÁRKÁNY

MCMXXXVII. — LIPSIAE — B. G. TEUBNER

Iq kut
114 950



INTRODUCTIO.

I. — *De vita operibusque Eliae Corvini.*¹⁾

A) Vita. Elias Corvinus in Valle Ioachimica (Germanice: Ioachimsthal s. Sankt-Ioachimsthal, Bohemice: Iáchymov; in Bohemia septentrionali et occidentali) e paupere²⁾ familia Germanica et Lutherana ortus est; annus, quo natus est, 1537.³⁾ creditur. Nomen proprium ei Rab⁴⁾ fuit; pater Michael Rab, inater Magdalena Phlug⁵⁾ erant. Corvinus duas sorores, quarum una infans mortua est,⁶⁾ altera Catharina a quodam Egidio Stör uxor ducta est, et fratrem natu minorem Petrum, qui postea universitatem Wittenbergensem frequentabat. Elias paene a puero studiis poeticis se dedit,⁷⁾ ad quae magister eius ioachimicus Ioannes Mathesius (postea diaconus et plebanus) stimulavit;⁸⁾

¹⁾ De vita operibusque Eliae Corvini copiosius scripserunt; Iosephus Carl in opere: *Scriptores antiquissimae ac celeberrimae Universitatis Viennensis ordine chronologico propositi, Pars III.* Viennae, 1742., pagg. 32—34. — Michael Denis, *Die Merkwürdigkeiten der k. k. garelischen öffentlichen Bibliothek am Theresiano.* Wien, 1780., pag. 306. — Johann Christoph Adelung, *Fortsetzungen und Ergänzungen zu Christian Gottlieb Jöchers Allgemeinen Gelehrten-Lexicon, tomus II.* (Leipzig, 1787.), coll. 477—78. — Franz Karl Wissgrill, *Schauplatz des lantsassigen Nieder-Oesterreichischen Adels vom Herren- und Ritterstande.* Wien, 1795., tomus II, pagg. 159—60. — Arnold Luschin von Ebengreuth, *Oesterreicher an italienischen Universitäten (in ephemeride Blätter des Vereines für Landeskunde von Nieder-Oesterreich.* Wien, 1880., pagg. 244. (num. 76.). — Joseph Ritter von Aschbach, *Geschichte der Wiener Universität, Tomus III., Die Universität und ihre Gelehrten; 1520. bis 1565.* Wien, 1883. pagg. 159—60. — Albert Starzer, *Beiträge zur Geschichte der Nieder-Oesterreichischen Statthalterei.* Wien, 1897., pag. 428. — Wenzel Hartl—Karl Schrauf, *Nachträge zum dritten Bande von Joseph Ritter von Aschbachs Geschichte der Wiener Universität, Tomus I. pars I.,* Wien, 1898., pagg. 313—31. — Arthur Goldmann, *Geschichte der Wiener Universität,* Wien, 1916., pag. 181.

²⁾ Ipse dicit: *Scilicet exigua quod sim de stirpe parentum...* (*Carminum libellus* [v. inter opera no. 1.], fol. A8r.)

³⁾ In editione carminum, quae *Poematum libri duo* (v. inter opera no. 11.) inscribitur et a. 1568. edita est, in ultimo carmine (pag. 236.) sic ipse dicit: *Parve liber nostra dudum prognate iuventa, Autorem taedet si penes esse tuum, Iam mihi Phoebei cursus sex lustra tulerunt: Hoc facit, ut curae sim satur ipse tuae.*

⁴⁾ Hartl—Schrauf (o. c., pag. 313. et nota 1.) Aschbach (o. c., pag. 159.) et Anton Mayer (*Wiens Buchdruckergeschichte.* Wien, 1883., pag. 164.) eum falso Rabener nominant.

⁵⁾ De familia Corvini secundum matriculam ioachimicam (tom. I., fol. 10v et tom. II., fol. 158v) copiose scripserunt Hartl—Schrauf, ibidem.

⁶⁾ *Epitaphium sororis* (*Carminum libellus* [v. inter opera no. 1.], fol. C7r).

⁷⁾ Sic ipse in *Supplicatione ad imperatorem Maximilianum II.* scribit (Cod. Vind. Lat. 9737k, fol. 236.).

⁸⁾ De studiis humanitatis in Valle Ioachimica et de industria operibusque Mathesii v. Hartl—Schrauf, o. c., pagg. 314—15. et notas.

impulsu eius Corvinus universitatem Wittenbergensem adiit, sed paulo post morbo implicatus studia interrumpere et salutem in thermis Carolinis (Germanice: Karlsbad, Bohemice: Karlovy vary; in Bohemia) petere coactus est.⁹⁾ Sanitate restituta domi et in diversis civitatibus, ut creditur, et denique Monachii degebat, ubi protectore Simone Minervio usus est et primum carmina colligens Augustae Rheticae (Augsburg) a. 1556. edidit.¹⁰⁾ Verisimile est eum in Bavaria confessionem Augustanam reliquisse et religionem Romano-catholicam accepisse. Proximo anno (1557.) Viennam profectus est, ubi patronos ecclesiasticos sibi quaerebat.¹¹⁾ Corvino magni momenti erat amicitia Georgii Ederi rectoris universitatis hanc dignitatem per quinque annos gerentis, cuius auctoritate Corvinus die 15. Septembris a. 1558. poeta laureatus factus est.¹²⁾ Gratia aulae Caesareae fructus ab imperatore Ferdinando I. insignibus nobilitatis donatus est.¹³⁾ Deinde aliquot opera minora Corvinus Viennae edidit. In albo (matricula) universitatis solo semestri primo anni schol. 1558—59. nomen in ratione nationis Saxonicae invenimus;¹⁴⁾ nescimus, an gradum academicum attigerit. Annis 1560. et 1561. domi moratus esse videtur, unde a. 1562. Patavium, ut ius disceret, abiit.¹⁵⁾ Proximos quinque vel sex annos in Italia (Romae et Ferrariae¹⁶⁾ quoque) agebat.¹⁷⁾ Libros duos poematum (for-

⁹⁾ De hoc vitae cursu ipse in carminibus loquitur: Ad sodales (Carminum libellus, v. inter opera no. 1., fol. C6v), De se febricitante (ibidem, fol. B3r), Ad thermas (ibidem, fol. B6r). E carminibus data, quae ad vitam Corvini attinent, composuerunt Hartl—Schrauf, o. c., pagg. 315—16. et notae.

¹⁰⁾ Ibidem pag. 317.

¹¹⁾ V. Dedicationem Triumphi... Carminisque de imperiis (v. inter opera no. 2.).

¹²⁾ Eder Catalogus, o. c. (v. inter opera, no. 5.), pagg. 89—99. et editionem alteram et continuationem eiusdem operis: Georgius Eder, Catalogus rectorum et illustrium virorum archigymnasii Viennensis. Ab anno MCCXXXVII. usque ad annum MDLIX. Nunc denuo revisus et auctus atque usque ad annum MDCLXX. continuatus... labore et studio Pauli de Sorbait. Viennae Austriae 1670., typis Matthaei Cosmerovii, pag. 101. — Laurea poetica (v. inter opera, no. 4.). — Corvinus inter poetas universitatis. Eder, o. c., pag. 99., Sorbiat, o. c., pag. 112.

¹³⁾ Conceptum datum Wien, 1. October, 1559. Archivum procerum Viennae (Adelsarchiv des Ministeriums des Innern, Wien, VII., Stiftgasse 2 a.) IV. D. 1. Citant Hartl—Schrauf, o. c., pag. 318., nota 18.

¹⁴⁾ Matricula in Archivio Universitatis (sine numero) 1518—94., fol. 117v: Elias Corvinus ex Valle Ioachimica poeta laureatus hic Viennae coronatus... Nota marginalis manu posteriore: Modo in regimine Austriae consiliarius.

¹⁵⁾ Luschin von Ebengreuth, o. c., l. c.

¹⁶⁾ In conspectu Romae (Poematum libri duo [v. inter opera, no. 11.] pag. 235.) et In nuptias Alfonsi ducis Ferrariae cum Barbara divi Ferdinandi I. imperatoris filia (ibid. pp. 117—120.).

¹⁷⁾ Hartl—Schrauf (o. c. pagg. 320—21., notae 24—26.), quia Corvinus in supplicatione a. 1582. data (ibidem pag. 321., nota 27.) scribit eum ad universitatem ultra viginti annos utiliter laborasse (nos Corvinum viginti annos omnino indicasse, quam qui viginti annos ad universitatem

tasse Patavii) iterum collegit et ad editorem Rhambam Lipsiam excusum misit. Corvinus a. 1568. Patavio iterum Romam iit, inde in Siciliam, mox in insulam Melitam (Malta) vectus in classe Hispana contra infideles (Turcas) pugnabat.¹⁸⁾ Pro meritis bellicis postea imperator Maximilianus II. commutationem insignium generis concedebat.¹⁹⁾ Corvinus a. 1569. iterum Viennae comoratur; in albo facultatis iuris semestri primo anni schol. 1569/70. doctor iuris inscriptus est.²⁰⁾ Quietam autem vitam perosus a. 1572. iterum mari contra Turcas pugnabat;²¹⁾ victoria ad Naupactum (Lepanto) parta ad carmen heroicum de Ioanne Hunniade, qui de Turcis ad Albam Graecam (hodie: Belgrad) triumphavit, componendum maximi momenti erat. A classe rediens Patavii Hugonem Blotium et fortasse Ioannem Listhium Hungarum, qui fortasse animum Corvini ad res Ioannis Hunniadae praeclare gestas advertit, convenit. Carmen intra annos 1572. exeuntem (post sollemnia inauguralia, quibus Rudolphus diadema regni Hungariae accepit) et 1575. (mensem Septembrem, quo Rudolphus rex Bohemiae factus est) scriptum est, Corvinus enim Rudolphum solum regem Hungariae et non Bohemiae quoque memorat. Corvinus in carmine condendo Antonium Bonfinium (A. de Bonfinis) Rerum Ungaricarum scriptorem sequitur, cuius operis studendi occasio tantum Viennae, ut creditur, ei contingere potuit. Eo tempore professor universitatis quoque electus est,²²⁾ cuius nomine una cum Paulo Fabricio Ru-

degit, et non, quam qui viginti annos professor in universitate fuit, credimus), annis 1562—68. Viennae degisse et in universitate praelectiones habuisse credunt, ad quod demonstrandum quoddam carmen sine dato ad Michaellem Grynaeum abbatem Mellicensem scriptum afferunt, in quo Corvinus adiutorium eius rogat, ut cathedram universitatis adipiscatur; in supplicatione ad Maximilianum II. (sine dato) scribit: In hoc celeberrimo archiducum Austriae gymnasio studia poetica et historica publice profiteor; e supplicatione hac et dedicatione Poematum librorum duorum (a. 1568.; v. inter opera, no. 11.) elucet Corvinum supplicationem post dedicationem scripsisse; quia autem in supplicatione Corvinus carmen de Ioanne Hunniade scriptum memorat, quod post a. 1572. scriptum est, Corvinus supplicationem ante annum 1572. scribere non potuit. Secundum supradicta tantum patet Corvinum circa vel fortasse post annum 1572. et non annis 1562—68. professorem fuisse.

¹⁸⁾ Ad librum suum (Poematum libri duo [v. inter opera, no. 11.] pag. 236.) Diploma nobilitatis datum Wien, 19. März, 1582. Archivum procerum Viennae (Adelsarchiv des Ministeriums des Innern, Wien, VII., Stiftgasse 2 a.) IV. D. 1. Citant Hartl—Schrauf, o. c. pag. 321., nota 27.

¹⁹⁾ Conceptum datum Linz 4. December, 1568. V. comm. 13. Citant Hartl—Schrauf, o. c., pag. 322., nota 30.

²⁰⁾ Matricula iur. in Archivo Universitatis (sine numero) III., fol. 22v.

²¹⁾ Diploma nobilitatis datum Wien, 19. März, 1582. V. comm. 18.

²²⁾ Litterae Blotii ad Corvinum (Cod. Vind. Lat. 7958, fol. 46. r—v) eum iam professorem nominant, in quibus eum rogat, ut petitionem suam in Collegio Archiducali pro professoratu benigne commendet, et invitat eum, ut una quandam biographiam virorum excellentium componeret, quod autem consilium in irritum cecidit. Blotius et Corvinus amici manebant, quod epistola Pauli Fabricii de Sambuci tumultis censura ad Eliam Corvinum et Hugonem Blotium scripta (Cod. Vind. Lat. 9737z 15., fol. 224.r—v)

dolphum a. 1575. regem Bohemiae et Romanorum salutat.²³⁾ Corvinus historiam domus Austriacae quoque scripturus erat.²⁴⁾ Post a. 1578.²⁵⁾ professoratu se abdicavit, magistratum Austriae Inferioris iniit et die 23. Augusti a. 1581. senator factus est; a die 12. Februarii a. 1591. usque ad diem 23. Octobris a. 1592. cancellariam administravit.²⁶⁾ Ab archiduce Matthia bis aurea catena donatus est;²⁷⁾ a. 1593. agrorum possessor in Austria Inferiore in novo statu equitum receptus est. Uxorem Catharinam Dörner (filius Zacharias ex ea natus patre mortuo iuvenis fuit), duxit; ea 1580. mortua secundam Catharinam Weidner.²⁸⁾ Elias Corvinus die 2. Decembris a. 1602. Viennae mortuus est.

B) Opera, plerumque carmina in his editionibus et codicibus (14. et 18.) inveniuntur: 1. Carminum libellus Eliae Corvini Ioacchimici scriptus ad dominum Ioannem Georgium Romungium. Augustae Rheticae (i. e. Augsburg), s. a. (1556.), Philippus Ulhardus excudebat. Continet foll. 23; in 8-o.²⁹⁾ — 2. Triumphus invictissimi imperatoris filii dei Iesu Christi ascendentis in coelum ad dextram aeterni patris. Item carmen de imperiis et ecclesia. Viennae, s. a. (1557.), excudebat Raphael Hofhalter. Continet foll. 8; in 4-o.³⁰⁾ — 3. Actus poeticus in gymnasio Viennensi celebratus, in quo Paulus Fabricius... Henrico Ecardo Noribergensi lauream coronam imposuit poetamque creavit et renunciavit IIII. Nonas Iulii, a. 1558. Continet foll. 34; in 4-o.³¹⁾ — 4. Laurea poetica ex caesareo privilegio in celeberrimo archigymnasio demonstrat.

²³⁾ Et quidem carmine et oratione. Cf. Conspectus historiae universitatis Viennensis ad annum 1575. Manuscriptum reperitur in Archivo Universitatis Viennensis, sine numero. (V. Hartl—Schrauf, o. c., pag. 325.)

²⁴⁾ Supplicatio ad Maximilianum II.: Cod. Vind. Lat. 9737k, fol. 236 r. — Voluntas effectus caruit.

²⁵⁾ In primo catalogo universitatis: Rector Academiae Viennensis Petrus Muchitsch philosophiae et theologiae doctor etc. eiusdemque superintendens caesareus Sigismundus ab Oedt i. u. d., s. caes. maiest. in excelso regimine consiliarius ac universus senatus academicus etc. omnibus hoc programma animo benevolo lecturis salutem. Viennae Austriae excudebat Stephanus Creuzer, A. 1578. fol. 1. (Invenitur Viennae in Bibliotheca Michaelica [Michaeler-Bibliothek].) (Conf. Mayer, o. c., no. 653.)

²⁶⁾ Status regiminis; manuscriptum no. 89. in Archivo Austriae inferioris: cf. Wissgrill, o. c. et Hartl—Schrauf, o. c., pag. 326. nota 43. — In quo manuscripto Status regiminis Corvinus professor universitatis Pragensis fuisse memoratur; qua de quaestione et de superintendencia Corvini v. Hartl—Schrauf o. c., l. c.

²⁷⁾ Starzer, o. c., l. c.

²⁸⁾ De uxoris, filio et testamento v. profusius Hartl—Schrauf, o. c., pagg. 326—29.

²⁹⁾ Editio admodum rara Viennae in Bibliotheca Nationali reperitur: BE. 11. R. 85. (7.)

³⁰⁾ Exemplar perrarum Viennae in Bibliotheca Nationali invenitur: * 38. E. 118.; menda typographica manu contemporanea, fortasse ipsius Corvini, correctae sunt.

³¹⁾ V. Denis, Merkwürdigkeiten, o. c., no. 171. et idem, Wiens Buchdruckergeschicht bis MDLX. Wien, 1782., no. 582. — Editio reperitur Viennae in Bibliotheca Nationali: * 38. Q. 42.

Viennensi tribus nuper viris eruditissimis Eliae Corvino, Ioanni Lauterbachio et Vito Iacobeo... summa cum gratulatione collata, a Paulo Fabricio edita... Viennae Austriae excudebat Raphael Hofhalter a. 1558. Continet foll. 46; in 4-o.³²⁾ — 5. Georgius Eder, Catalogus rectorum et illustrium virorum archigymnasii Viennensis ab anno MCCXXXVII. usque ad annum MDLIX. Viennae excudebat Raphael Hofhalter, anno 1559. Continet foll. 64; in 4-o.³³⁾ Carmen Corvini: Academia Viennensis ad... Leonhardum Puchler a Weitenegg. — 6. Elegia de dignitate et excellentia poeseos publice dicta in disputationibus academicis, quas vulgo Leontinos vocant. Aliud carmen recitatum in celeberrimo actu, cum Viennae... creatur poeta laureatus Elias Corvinus Ioachimicus. Viennae Austriae excudebat Raphael Hofhalter a. 1559. Continet foll. 10; in 4-o.³⁴⁾ — 7. Georgii Ederi iuris-consulti caesarei Frisingensis Orationes sex in archigymnasio Viennensi... Viennae Austriae excudebat Raphael Hofhalter a. 1559.³⁵⁾ — 8. Epithalamia et carmina gratulatoria in honorem nuptiarum egregii et praestantis viri Iohannis Dreheri et honestissimae virginis Dorotheae... Viennae Austriae excudebat Raphael Hofhalter a. 1559.³⁶⁾ — 9. Serenissimo regi Boemorum d. Maximiliano archiduci optimo christianissimoque principi de republica praeclare merito dicatum. S. I. et a. (fortasse 1559.) et typographo.³⁷⁾ Carmina Corvini: Fundamentum totius scripturae sacrae..., Elegia de hyaena..., Ode Sapphica de divo Ioanne Baptista, Carmen recitatum Viennae, cum crearetur poeta laureatus Henricus Ecardus. — 10. Triumphus gloriosissimi filii dei ascendentis ad dextram aeterni patris carmine celebratus in archigymnasio Viennensi per Vitum Iacobeum et Eliam Corvinum Ioachimicum. Viennae Austriae (fortasse Raphael Hofhalter a. 1559. excudebat); in 4-o.³⁸⁾ — 11. Eliae Corvini Ioachimici poematum

³²⁾ V. Denis, Buchdruckergeschicht, o. c., no. 583. — Exemplar Viennae in Bibliotheca Nationali invenitur: * 43. H. 212.

³³⁾ V. Denis, Buchdruckergeschicht, o. c., no. 600. — Exemplaria reperiuntur Viennae in Bibliotheca Nationali: 56.486-B., ibidem in Bibliotheca Universitatis et alibi.

³⁴⁾ V. Denis, Buchdruckergeschicht, o. c., no. 640. — Editio admodum rara invenitur Viennae in Bibliotheca Nationali: 169.480-B.

³⁵⁾ V. Denis, Buchdruckergeschicht, o. c., no. 607.; secundum quem exemplaria editionis in Bibliothecis Monasterii Herzogenburgensis, ubi frustra quaesitum est, et Windhagiana (Viennae), ubi nunc inveniri nequit, asservata erant.

³⁶⁾ V. Denis, Buchdruckergeschicht, o. c., no. 622.; secundum quem quoddam exemplar in oppido Heilbronn in Bibliotheca Senatus invenitur; num adhuc ibi existat, nescimus, per epistolam enim frustra quaesivimus, responsum autem non accepimus.

³⁷⁾ V. Denis, Buchdruckergeschicht, o. c., no. 734.; secundum quem exemplaria Viennae in Bibliotheca Windhagiana, ubi nunc inveniri nequit, et ibidem in Bibliotheca Senatus (Rathsbibliothek), ubi frustra quaesitum est, asservata erant.

³⁸⁾ V. Denis, Buchdruckergeschicht, o. c., no. 736.; secundum quem exemplar: quoddam invenitur Viennae in Bibliotheca Universitatis, ubi

libri duo. quorum primus heroica, secundus elegiaca continet. Lipsiae 1568. excudebat Ioannes Rhamba typis Voegelianis. Continet pagg. 236; in 8-o.³⁹⁾ — 12. Paulus Fabricius, Elias Corvinus, Thomas Ruef: Epithalamia in nuptias singulari virtute ac praecleara eruditione viri domini magistri Valentini Tenneri Miseni... et honestissimae virginis Katharinae sponsae suae dilectissimae Medlingae celebrandas scripta a doctissimis viris sponsi amicis. Viennae Austriae excudebat Gaspar Stainhofer a. 1569. Continet foll. 4; in 4-o.⁴⁰⁾ — 13. Oratio in funere nobilis et honestissimae matronae Barbarae Prantnerin... Ioannis Pampelii... archigymnasii Viennensis rectoris magnifici coniugis recitata in aede d. Stephani a m. Petro Muchitsch... die 28. mensis Iulii a. 1573., cui adiuncta sunt carmina in eodem funere a suis authoribus affixa. Viennae Austriae excudebat Stephanus Creuzer. Continet foll. 8; in 4-o.⁴¹⁾ — 14. Elias Corvinus: Ioannis Hunniadae res bellicae contra Turcas. Cod. Vind. Lat. 9878. (V. inferius.) — 15. Elias Corvinus: Ad exequias sacrae caesareae maiestatis divi Maximiliani piae memoriae. Viennae a. 1576. Michael Apffl excudebat.⁴²⁾ — 16. Epithalamia in nuptias nobilis et praestantis viri d. Leonardi Dilheri s. Rom. caes. maiestatis aulae familiaris etc. sponsi ac nobilis... Reginae filiae magnifici... doctoris domini Georgii Ederi... sponsae a clarissimis et honestissimis viris tum prosa tum metrica oratione... conscripta. A. 1581. Viennae Austriae excudebat Leonardus Nassingerus. Continet foll. 26; in 4-o.⁴³⁾ — 17. Delitiae poetarum Germanorum huius superiorisque aevi illustrium collectore A. F. G. G. (i. e. Ianus Gruter). Francofurti 1612. excudebat N. Hoffmann sumptibus I. Fischer. Tomi I—VI.; in 12-o. Carmina Corvini (in tomo II., pp. 932—935.) Peregrinationis laus, De effigie Georgii Ederi, De eadem, In tumulum sororis, Vitae humanae calamitas, In detractorem, Ad amicum, Ad Gabrielem Fallopium, Bernardo Tomitano, In conspectum Romae.⁴⁴⁾ — 18. Ioannes Iosephus Locher, Speculi academici Viennensis pars tertia. Viennae Austriae 1775. Codex manuscriptus in Archivo Universitatis Viennensis. Sine signatura. — A Corvino: Quaestio proposita Hieronymo Lauterbachio; pp. 253—54.

frustra quaesitum est.

³⁹⁾ Exemplaria reperiuntur Viennae in Bibliotheca Nationali: 78. V. 35. et Londini in Bibliotheca Britannica (British Museum): 11388. aa. (2).

⁴⁰⁾ V. Mayer, o. c., no. 569. — Editio perrara reperitur in Bibliotheca Musei Nationalis Hungarici: P. o. Lat. 794.

⁴¹⁾ V. Mayer, o. c., no. 667. — Exemplar admodum rarum Viennae in Bibliotheca Michaelica (Michaeler-Bibliothek) asservatur.

⁴²⁾ Editionem memorant Hartl—Schrauf, o. c., pag. 325., nota 339.

⁴³⁾ V. Mayer, o. c., no. 725. — Editio satis rara Viennae in Bibliotheca Nationali reperitur: 21.394-B.

⁴⁴⁾ Exemplaria inveniuntur Viennae in Bibliotheca Nationali: * 38. Y. 28., Budapestini in Bibliotheca Musei Nationalis Hungarici: P. o. Lat. 1379. et alibi.

II. — *De codice carminis epici.*

Cod. Vind. Lat. 9878.⁴⁵⁾ Saec. XVI., chart., magnitudo cm. 20:9×15:9.; carmen 45 folia occupat. — Carmen intra annos 1572. et 1575.⁴⁶⁾ scriptum et Rudolfo regi Hungarorum (coronatus est 1572., regnavit 1576—1608.) dedicatum hic solus codex in Bibliotheca Nationali Vindobonensi custoditus ad nostram aetatem servavit, qui intra annos 1572. et 1780. descriptus esse videtur, quia charta eiusque signa aquatica (Wasserzeichen) eadem sunt, ac supplicationis Corvini manus Corvini ad Maximilianum II. Romanorum imperatorem (1562—76.) (sine dato) scriptae,⁴⁷⁾ in qua de hoc carmine quoque poeta mentionem fecit; praeterea, quia in carmine permultae correctiones⁴⁸⁾ eadem manu, qua supplicatio memorata, inscriptae inveniuntur, hunc codicem et a Corvino ipso correctum et iussu Corvini a quodam librario⁴⁹⁾ sibi⁵⁰⁾ descriptum esse certum habemus. Item Corvinus rubro colore numeros praeliorum in margine scripsit.⁵¹⁾

Elias Corvinus in carmine componendo opus historicum Antonii de Bonfinis⁵²⁾ secutus est, et quidem editionem Basileensem anni 1543. a Martino Brennero editam. Res gestae Ioannis Hunniadae a Bonfinio in libris IV—VIII. decadis III. scriptae sunt. (Corv. v. 36—101.: Bonf. lib. IV.; 102—388.: V.; 389—537.: VI.; 538—766.: VII.; 767—901.: VIII.; 902—50.: IV.; 951—1003.: VII.)

In carminē edendo scripturam codicis secuti sumus, qua de causa scripsimus 39. sumtis pro sumptis, 89. lethi pro leti; unitatis gratia sola nonnulla verba mutavimus (250. exemta pro exempta, 758. quatuor pro quattuor, 1009. inceptis pro in-caeptis, 1064. felix pro faelix).

⁴⁵⁾ Signatura antiqua: Hist. prof. 772.

⁴⁶⁾ Quia Rudolphum tantum regem Hungarorum et non simul Bohemorum quoque memorat.

⁴⁷⁾ V. comm. 17

⁴⁸⁾ In Annotationibus Criticis assumptae sunt: secunda manus.

⁴⁹⁾ Correctiones librarii, quas inter scribendum fecit, in Annotationibus Criticis annotavimus.

⁵⁰⁾ Codex non dedicationalis esse videtur, quem certo magnificentiore frustra quaesivimus.

⁵¹⁾ Et quidem ad v. 79.: Praelium I., 119.: Praelium II., 136.: Praelium III., 251.: Praelium IIII., 328.: Praelium V., 388.: Praelium VI., 435.: Praelium VII., 452.: Praelium VIII., 497.: Praelium IX., 529.: Praelium X., 580.: Praelium XI., 598.: Praelium XII., 622.: Praelium XIII., 725.: Praelium XIII., 813.: Praelium XV., 843.: Praelium XVI., 927.: Praelium XVII., 960.: Praelium XVIII., 972.: Praelium XIX.

⁵²⁾ Nova editio in hac Bibliotheca (ediderunt I. Főgel—B. Iványi—L. Juhász).

ELIAS CORVINUS
IOANNIS HUNNIADAE
RES BELLICAE CONTRA TURCAS

Bella per aequoreos tractus clademque cruentam,
Dum Selimi Ionio classis perit improba ponto
Christiadaeque Deo grates e pectore solvunt,
Dicite vos, Itali vates, vos denique, Galli!
Heu, duram sortem patriae in cognata ruentis
Viscera lugubri seclis transmittite versu,
Omnia quae nostro Parcae evolvere sub aevo.
Me iuvet interea recubantem in margine ripae,
Qua vagus Austriacos colles praeterfluit Ister,
10 Pannoniae antiquas memori res condere versu
Virtutesque referre viri laudataque gesta
Hunniadae, priscis nomen qui traxit ab Hunnis,
Quos ille astrictos merita ditio tenebat.
Huc ades, o nova spes tutorque optate, Rudolphe,
15 Cui genitor proprium ius Augustamque coronam
Ungariae cessit regnatoremque refecit
Invicto populo magni ingens arbiter orbis.
Hic ego praeclaras laudes et fortia gesta,
In regnis quantum ille tuis virtute potenti
20 Ausus erat, referam Corvinique ardua caelo
Transcribam exempla haud ullos moritura per annos.
Non indigna canam; virtus namque illa priorum
Heroos posita ante animos dulcedine mira
Excitat et similes motus sub pectore vertit,
Unde pari assultu tendunt super astra minores.
Ergo veni et vires animis, rex, adde, Rudolfe.
Ille autum a proavis haudquaquam vilibus ortum
Duxerat, insigni genitus sed stirpe parentum;
Romulei generis Corvinos nomine et alta
Virtute aequabat penitus gentemque superbam
Reddebat pulchris ausis per Pannona regna.
Ergo opibus felix multoque insignis honore,
Florebat late ac studio Martisque togaeque
Instructus rerum praelustria munia obibat
Et magis atque magis fato exurgebat in altum.

- Iamque per excitas bellis civilibus urbes
 Ungariae furor et caedes diraeque rapinae
 Fervebant populosque agnato milite passim
 Sanguineus Mavors sumtis sternebat in armis.
 40 Nam, quia post obitus et fata celerrima regis
 Alberti geminos surgens discordia reges
 Fecerat, in geminas secum contraria partes
 Scinditur atque animis et vastis roboribus gens
 Perfurit ac misero luctu et caede omnia complet.
 45 Addunt se proceres parte ex utraque suosque
 Tutantur caetus; hic te, Ulaslaë, Polona
 De gente ad regni curas et sceptrum vocatum
 Prosequitur studiis; hic te, Ladilaë tenelle,
 Protegit Alberto quem post fata ultima patri
 50 Haeredem tanto regno tulit Elisabetha
 Electum in cunis sceptro ornatumque tiara.
 Sic illi inter se furibundo Marte ruebant.
 Ergo vicini tanto haud sub cardine rerum
 Cessarunt Turcae, sed vi ferroque dolisque
 Instabant genti infestae praedasque trahebant.
 Dux Scythici generis bello expertissimus Isach,
 Qui veteres Dacos Mysorumque arva tenebat,
 Magno Amurathi sperans fore munera grata
 Excurrit late turmis populosque propinquos
 60 Sollicitat rabie infrenis camposque per omnes
 Et miseras urbes caedem turpesque rapinas
 Ingeminat. Contra non ipso fortibus ausis
 Aut dextra inferior sese collegit in arma
 Corvinus, cui pro meritis rebusque secundis
 65 Regnanda Ungariae cessit longinquior ora.
 Illi ergo infractis animis utrinque parati
 Tutari gentem patriam et non cedere bello.
 Isacus hostiles longe procurrit in oras
 Et rapit ac caedes miscet spargitque furentes
 70 Flammarum nimbos nec muris ipsius Albae
 Abstinet, insano sed territat omnia motu.
 Contra ille haud tales fremitus perpessus inulte est,
 Sed propere agminibus collectis traiecit Istrum
 Atque per Albanos ponit castra horrida campos.
 Non poterat vires audax cohibere superbas
 Isacus adverso sed enim molimine in hostes
 Tendit et immensas ad praelia certa cohortes
 Educit nec cladem ullam nec fata retractat.
 Iamque cruentatis dense concurratur armis.
 80 Fit via praecipiti ferro, sternuntur utrinque
 Nescia corda metus; calido suffusa cruore
 Terra natat strepituque virum gemituque remugit,
 Cedere dum partes avidas non aemula virtus

- Nec gravis ira sinit. Tandem felicibus alto
 85 E caelo auspiciis ridet victoria turbae
 Christiadam dirique cadunt crudeliter hostes
 Atque lacessitos mordent singultibus agros.
 Isachus aspiciens demum insperata suorum
 Funera et instantis lethi vicina pericla,
 90 Terga fugae vertit turpique ad maenia cursu
 Sindroviae irrumpit vitamque hac arte tuetur
 Indignam pro laude nova, pro viribus amplis.
 Insequitur profugos magnamque ex agmine pubem
 Palanti prosternit ovans Corvinus et omnes
 95 Irarum effundit fluctus nomenque decorum
 Et spolia et patriae fert amplam ex hoste salutem.
 Nimirum sensisti hominem nunc, Isache, in armis,
 Cautius et posthac disces te credere Marti.
 At victor patriae totis celebratur in oris
 100 Maioresque animos felici hoc omine tollit
 Proque suo caetu totum se destinat armis.
 Nec longum in medio tempus, cum milite atroci
 Iussu Amurathis Mezethes se horridus infert
 Et Transsylvanos populatur caedibus agros.
 Hunniades tanto numero ingentique periclo
 Percussus subito in rerum discrimine Iulam
 Albam adiit, qua consiliis usuque senili
 Et pietate gravis sacrorum praesul agebat;
 Hunc socium adiunxit rebus. Iamque impiger omnem
 110 Mezethus clade ingenti vastaverat oram
 Et praedas rerum atque hominum avertebat opimas.
 Illi intra turres vicina incendia passim
 Spectabant civesque suos ad vincla coactos
 Nec tamen ullam animis fas hic sperare salutem.
 Ergo constituunt non haec ante ora tueri
 Longius aut mortem pulchra e virtute pacisci.
 Exiguas numero turmas (ut dura ferebant
 Tempora) producunt magno conamine in hostes
 Ulturi cives miseros patriamque cadentem.
 120 Astubi iam ventum est longinqua ad iugera, faede
 Obruitur numero ingenti gens Ungara et omni
 E latere effusos nequicquam sustinet hostes.
 Vertere iter visum est ac duris cedere fatis
 Et post maiori auxilio se credere pugnae.
 125 Ergo, quanquam ingens cecidit manus et tua, praesul,
 Te quoque sustulerunt hic fata cruenta, Georgi,
 Nil minus Hunniades altum sub corde dolorem
 Dissimulat viresque omnes et tota suorum
 Cogitat auxilia; e pagis atque urbibus omnem
 Militiam extimulat saevosque accendit in hostes,
 Ut tandem auspiciis melioribus aspera fata


- Vindictae ac patriam servet sociosque subactos.
 Iamque ille immensis spoliis cedebat onustus
 Atque suos frustra secum reputabat honores
 In patria exultans Mezethus; fortiter ipsum
 A tergo insequitur caetu Corvinus ovante.
 Fit nova sors pugnae; gliscit violentia utrinque.
 Iamque manu intrepida miscent insana cohortes
 Vulnere, iam latis hinc inde occumbitur agris.
 140 Corvinus monitu socii redeuntis ab hoste,
 Dum sibi prae reliquis persentit fata parari,
 Egregium bello iuvenem de stirpe Kemena
 Supposuit furto suaque illi insignia et arma
 Quadrupedemque suum concessit et ordine denso
 In medias acies statuit, quo fortiter hostem
 Ferro ageret validumque ducem monstraret in armis.
 Huic ergo immensis studiis se opponere Turcae
 Et solum ante alios petere interitumque minari.
 Ille autem dextra intrepidi ductoris obibat
 150 Munera et hos illos sternebat Marte secundo
 Nec duce pro charo mortem renuebat acerbam.
 Tandem inter cuneos et corpora caesa suorum
 Procubuit pulchramque animam cum sanguine fudit.
 I, pete nunc caelum patriam; tua candida fama
 Aeternas lucas nostris celebrabitur oris.
 At non Corvinus rerum hac in sorte quievit,
 Sed validas acies firmat: huc impiger illuc
 Discursat variatque vices atque ordine certo
 Omnia disponit prudens nec milite cessat
 160 Praevalido hic illic saevas rursus edere clades
 Fortunamque sequi multa virtute faventem.
 Ecce novum auxilii specimen; densissima turba,
 Quae submissa iugo in castris captiva gemebat,
 Nunc rata tempus agi de libertate novanda
 Perfurit atque ipsos custodes unanimi vi
 Aggreditur caeditque neci; mox arma resumens
 Audacesque animos ingentia funera castris
 Turcarum in mediis glomerat victique trucidant
 Victores sociosque iuvant ante agmina prima
 170 Pugnantes; tum vero oritur faustissima clades.
 Instant ardentes socii ex rumore secundo,
 Obvia quaeque metunt ferro et coniungere fidos
 Approperant caetus hostemque evertere dextris.
 Fit via virtuti; spondet sors dextera palmam.
 Intereunt hostes trepidi, metus occupat aegros
 Et fuga subsidio est vitaeque miserrimus angor.
 Ingravat a tergo Hunniades scelerataque sternit
 Agmina nec potis est satiari sanguine faedo,
 Sed plus e laetis successibus integrat iram.

- 180 Mezethus rerum facie turbatus iniqua,
 Demisit mentem nec iam decernere tentat
 Ulterius, sed terga fugae turpissima vertit
 Cum gnatoque suo vastae inter stragis acervos
 Occumbit morti ac fastum cum sanguine ponit.
 185 Illi autem pavidos felici Marte sequuntur
 Perque dies aliquot caedunt hinc inde ruentes
 Nec cursu absistunt, donec fugientibus Alpes
 Et vitae atque fugae metam dent; hic bonus ipse
 Hunniades statuit divis sacrata trophaea
 190 Et demum illustris victor se in castra receptat.
 O quis tum plausus? quis honos? o quanta reductis
 Gaudia de sociis, quae praeda immensaue gaza?
 Bis dena in latis Turcarum millia campis
 Occubere dolosque et vim posuere superbam.
 195 Mezethi ducis et gnati capita alta repleto
 Praefixa in curru, rex Uladilaë, vehuntur
 Dona tibi et signis Geticis humeroque revulso
 Nobilium capitum sortem testantur acerbam
 Hostilis turbae et nostrorum fortia gesta.
 200 Omnibus in templis divum celebrantur honores,
 Omnibus in terris Europae splendida magni
 Fama volat Corvini atque indelebile nomen.
 Non ergo absimilem primis se praebuit ausis,
 Sed porro in Geticos tractus excurrit et omnem
 205 Caedibus assiduis permiscet fervidus oram,
 Unde illi immensis opibus ditata iuventus
 Continuoque viget bellorum assueta labori.
 Tunc etiam Valachi Turcarum faedera rumpunt
 Et se Pannoniae rursus coniungere gaudent.
 210 Exarsit furiis gliscentibus Amurathes
 Inter facta viri memoranda et damna suorum.
 Mox ergo in Valachos Moldavaque rura furentem
 Schabadinem ingentes bello deducere turmas
 Imperat et miserae paenas infligere genti.
 215 Hunniades populos deserta ob pacta trementes
 Solatur dictis spondetque dolentibus ampla
 Auxilia et tutos intra iubet ire recessus.
 Interea subitis terroribus agmina cogit
 Constantique animo totas opponere vires
 220 Nititur atque omnes exquiri callidus artes.
 Et nunc e Macedum longinquis finibus ibat
 Audax Schabadines cum terribili comitatu
 Octoginta hominum deducens millia et Istrum
 Exuperans duplicem in caetum dissolverat agmen.
 Sic Valachos penetrant, longe lateque furorem
 Exacuunt, nec ferro usquam nec parcitur igni.
 Quodcunque invalidum est ulla de parte repertum,

- Occidit et nihil hic sexus, nil profuit aetas.
 Iamque per Alpinos tractus evaserat hostis
 230 Et Transsylvanos pestem meditatur in agros.
 Educit lectas acies nil territus heros
 Atque impar tanto numero concurrere gestit.
 Imo, ait, o cives, nunc nunc datur hora ferocem
 Monstrandi virtutem animosque sub astra levandi.
 235 Nunc mecum aut patriam laeti defendite cives
 Christicolasque aras aut pulchrae occumbite morti.
 Non vis in numero est, verum alto in robore Christi.
 Hic grege pro nostro pugnat, dux optimus ille
 Noster erit victorque aderit; sic credite et ite
 240 In duros mecum casus famamque perennem.
 Dixerat atque equitum turmas peditumque maniplos
 Ordinibus sistit certis et cornua firma
 Obvertit mediumque agmen discrimine denso
 Consertat; tum late ipsas circum ambiit alas
 245 Curribus innumeris, quo sese in tuta referrent
 Defessi socii atque e vallo saeva cierent
 Praelia; sic rerum praeceps fortuna volebat.
 Nec minus ipse atrox hostis crudelia stipat
 Agmina et ordinibus positis procedit et astu
 250 Nec tanto in numero mens illi exemta periclis.
 Iamque feri Martis dedit horrida buccina signum
 Concurruntque acies et vulnera dira necemque
 Multiplicant campisque cruor fluit undique plenis.
 Nunc hic nunc illic variat fortuna tenorem,
 Cedere dum nusquam virtus sinit alta decusque.
 Attamen immensis turbis cataphracta equitum gens
 Usque adeo obstiterat, quo iam victoria nostris
 In manibus sese praeberet laeta videndam
 Ergo post quartam pugnae lacrymabilis horam.
 260 Subsidio extremas turmas, quas praelia dudum
 Nulla fatigarant, defecto in limine sistit
 Schabadines pugnaeque nova concurrere fessis
 Imperat. Hunniades tali non territus arte
 Obduci patitur socios; sed denique plaustra
 Armorum insidiis variis munita moveri
 Praecipit ac late vallari immania circum
 Cornua et a fronte ac tergo renovare cruentos
 Assultus caedemque ultro instaurare priorem.
 Sors bona consilio est; cadit ingens turba per agros
 270 Utroque ex numero; sed tandem dextra Getarum
 Pestiferis circum late data curribus ala
 Non bene sustinuit gemina de parte furorem,
 Sed pulsa excessit spatiis; tum maxima vero
 Laetitia exoritur nostris, tum vivida virtus.
 Nec mora nec requies; instant longe acrius hosti,

- Praesentemque iuvant sortem viresque resumunt.
 Tandem igitur casus miseros, extrema pericla
 Schabadines cernens sese celer eripit illinc,
 Et faedo cursu signa inclinata relinquit.
 280 Hunniades sequitur palantiaque agmina ferro
 Proterit atque animis caedem nunc integrat auctis
 Atque avidum satiat mactato in sanguine pectus.
 Nec caedi ulla quies, donec iam exercitus ille
 Immanis media de parte occumbat in arvis
 285 Et media de parte fugam sine honore capessat.
 Tunc ille a tergo Turcarum castra relicta
 Diripit et socios spoliis ingentibus omnes
 Exornat templisque deum praeclara trophaea
 Constituit lucisque sacras et debita vota.
 290 Ipsi etiam regi celsae sub maenia Budae
 Non indigna tulit dona et monumenta suorum
 Factorum iussitque sacrae plus fidere causae.
 Omnibus ipsa locis virtus Corvina probatur
 Et duce sub tanto surgit spes optima rebus.
 Rex ergo auspiciis toties felicibus actus
 Unanimi procerum assensu fortissima rursus
 In Turcos parat arma suamque ostendere dextram
 Optat ovans pro gente sua, pro nomine Christi:
 Tantum animos virtus generosos excitat ardens.
 300 Agmina coguntur, non arma ducesque nec aurum
 Aut quaecunque ausis tantis accommoda, desunt.
 Vere novo multo plausu votisque piorum
 Rex audax castra ingreditur Budamque relinquit.
 Per Dacos iter est; hic undique ac undique fida
 305 Auxilia agglomerant et iussa optata sequuntur.
 Hinc ad Bulgariae infestas descenditur oras.
 Urbs Sophiae a templo nomen sortita vetustum
 (Quod donis ingens erectum est sumptibus olim,
 Iustiniane, tuis) offert se in limine primo.
 310 Improvisum agmen subito intra effaeta tumultu
 Maenia prorumpit trepidantemque occupat hostem
 Et male defensam patriam et res eripit omnes.
 Hinc quia servari magna sine mole nequibat,
 Eruitur, lateque urbs acta incendia monstrat.
 Tum loca, quae passim vicinis dissita campos,
 Vertuntur veteresque vident iuga ferre colonos;
 Deinde autem Moravae placidum rex traicit animum
 Atque ibi Turcarum non longe castra locata
 Perdiscit pestemque feros meditatur in hostes.
 320 Mittitur Hunniades bis quinque millibus ante
 Selectorum equitum, qui signa ferocia tentet.
 Nox erat et tremulam spargebat frigida lucem
 Luna polo; per agros positos stridoribus heros

- Fidi hominis ductu sub castra hostilia tendit.
 325 Iamque in conspectu suberant; ille ocyus agmen
 Immensum in gyrum longo ordine circumducit
 Et signa in mediis spatiis inimica recludit.
 Continuo ingenti fremitu crudoque tumultu
 Irruit in diras pestes, nunc aegra trahentes
 330 Lumina prae somno, nunc bello haud utile vulgus.
 Praecipites sternit ferroque exuscitat iras
 Maiores intra sese; tum fida furore
 Agmina compellit mandatque ingentia divum
 Dona animis laetis curare et caedere ad unum
 335 Invisas superis turmas ac sorte potiri.
 Illi autem attoniti somno lethoque propinquo
 Pars ruere ad ferrum, pars impia vertere terga
 Et retro pelli; mors et furor undique praesens
 Intonat ac latere ex omni fera fata parantur.
 340 Sic igitur totam fundendo in sanguine noctem
 Absumunt mactantque neci satiantque furorem,
 Donec, quod reliquum est, primo sub lumine solis
 Excipiant ferro ac sub tristia Tartara mittant.
 Ter dena in miseris ceciderunt millia castris,
 345 Nocte una: at magno dives cum munere praedae
 Regi expectanti, rursum se exercitus offert.
 O quae laetitia!, Hunniaden quando optimus ipse
 Exciperet dictis gratantibus Uladilais
 Praeberetque manum ac verbis recrearet amicus
 350 Spirantemque iras et adhuc e caede ferocem.
 Victor hic a cunctis populis celebratur ad alta
 Sydera et immensos ducit per castra triumphos.
 Hinc tibi, Christe potens, meritaе gratesque piaequae
 Sparguntur voces et laus tibi tota dicatur,
 355 Qui rexisti animos ducis et pia signa tuorum.
 Fervet ab eventu laeto instigata virum vis
 Et propius sese Turcarum immittere in oras
 Consilio unanimi statuunt et pellere regno.
 Ergo Threicios visum est procedere in agros,
 360 Arduus immensis qua sese anfractibus Hemus
 Obiicit et late flexus ac brachia pandit.
 Hac laeti tendunt domitantque hostilia passim
 Oppida Bulgariae ac terrent loca cuncta tumultu.
 Est Hemi duplex aditus, quorum alter iniquis
 365 Perfectus spatiis quondam sudore Quiritum,
 Alter Slatissae pronus descendit ad amnem.
 Ventum erat ad geminos; nusquam patuere maligni
 Accessus, dum Turca timens fata horrida regno
 Saxorum obiicibus vastis atque arbore multa
 370 Caeptum occlusit iter summoque in vertice montis
 Praesidia opposuit tanto occursura periclo.



- Hic demum indigna fortuna exercitus haesit
 Et frigus miseramque famem sub tempore brumae
 Sustinuit dirisque malis iam cedere caepit.
 375 Hunniades retro socios sub rebus iniquis
 Ducere et heroos inhibere impellitur ausus.
 Iamque ibant patriosque lares fidosque propinquos
 Et tristes casus reputabant mentibus aegris.
 A tergo insequitur linquens iuga celsa Carambus,
 380 Qui fuerat iussus fines ac sceptrum tueri
 Turcica et haudquaquam dubio concurrere Marte.
 Ille igitur multis nostrorum insultibus et vi
 Maioris numeri claroque impulsus honore
 Instruit adversas acies pugnamque lacessit.
 385 Corvinus contra longo confecta labore
 Agmina solatur virtutemque obiicit ante
 Spectatam superumque optata levamina spondet
 Et tandem laetas discriminat ordine turmas.
 Mox inter colles montis radicibus imis
 390 Concurrunt fremitu ingenti sparguntque cruorem.
 Hungara gens duris animis saevique Poloni
 Usque adeo obnixi non ullo cedere casu,
 Ut non more hominum, rigido sed more ferarum
 Pugnarent, miserae mactarentque impia morti
 395 Corpora. Tunc pavidi tantis fervoribus hostes
 Corde labant sensimque alio se abducere tentant.
 Substituit vires atque indefessa Carambus
 Corpora et hortatur furibundos pellere caetis
 Exemploque suo cladem instaurare superbam.
 400 Non minus Hunniades urget trepidantia dudum
 Signa iubens tolli penitus sortemque secundam
 Curari invictis animis ferrique laborem.
 Tunc acres peditum iuga per clivosa maniplos
 Inter densa locat virgulta atque instruit hostes
 405 Excipere; hi furtim venabula dira tenentes
 Discursantum equitum carecta per ipsa phalanges
 Succidunt clademque exercent fortiter atram.
 Ingruit Hunniades seriemque intersecat hostis
 Compositam et diro palantes inde furore
 410 Proterit extremamque necem virtute minatur.
 Fit fuga, fit caedes; quodcunque sub ardua montis
 Oppositi elapsum non est, declivibus arvis
 Interit et terram defensam sanguine tingit.
 Ille etiam inductus fallaci laude Carambus
 415 Hic illic profugos inclamat et impete caeco
 Corruit in praeceps et humo revolutus iniqua,
 Praenditur, obscuro perfertque a milite vincla.
 Sic adeo lucem totam caede atque furore
 Exaequant donec fessos in castra redire

- 420 Iussit et ingratam suasit nox acta quietem.
 Tum vero ingentes plausus, tum gaudia surgunt
 Certatim revocatque animos confecta iuventus
 Et grates divis agit et fata optima sperat.
 Ducitur ante oculos captiva in gente Carambus,
 425 Quem bonus Hunniades parva mercede receptum
 Solatur dictis atque intra castra locari
 Praecipit exemplum fati variantis in horas.
 Sic nox a laetis tandem victoribus acta est.
 Iamque dies operum caepta expectata reduxit
 430 Atque ipsas pugnae monuit delere prioris
 Reliquias tuto Cunobizi in monte receptas.
 Rex aditum imprimis tentat subigitque cohortes.
 Exploratque modos: alia de parte volentes
 Subducit socios Corvinus et omnia rerum
 435 Auxilia evolvit; certatur robore toto
 Ingenioque simul, sed non vis ulla laborque
 Praesidia excelso disposta in vertice nixu
 Aequare aut ulla valuit turbare ruina.
 Irritus hic labor est frustra exercita virtus.
 440 Ergo consilio regis secedere visum est
 Et populum hybernis e dira avertere bruma.
 Tollunt e speculis corda exultantia Turcae
 Et rabie insigni descendunt aequore aperto.
 Sylva erat et caeno multaque infesta palude,
 445 Quam gens Christicolum relegebat versa retrorsum
 In patriam; hic primo stiparant ordine caetus
 Ingentes peditum; extremo sed limite durae
 Turmae equitum belli ceu propugnacla sequuntur.
 Hos nemore in faedo raptim levia arma Getarum
 450 Infestant pugnaque nova atque incursibus urgent.
 Substitit Hunniades atque ultima signa suorum
 Obvertit contra nec sortem exhorruit ullam.
 Tum, licet ingenti per lustra undosa periclo
 Martem exercerent multique uligine in alta
 Praecipites ruerent terrae, tamen impia signa
 Fuderunt penitus sylvaeque egere maligna.
 Hunniades multos hostili ex agmine captos
 Difficilem ob pugnam conspectu mandat in ipso
 Truncari et vivos caesorum mittier umbris.
 460 Inde autem quia nam reditus et caepta viarum
 Impediunt rerum diversa onera atque rapinae,
 Immensos cumulant gazae exuperantis acervos
 Et media in sylva submittunt omnia flammis.
 Quin etiam terrae defunctorum arma relictia
 Infodiunt iumenta huius remorantia mactant.
 Sic adeo obstaculis demtis per inhospita iustra
 Corripiunt gressus atque insultantia temnunt

- Robora post tergum, donec sub maenia chara
 Belgradi et tandem venere ad dulcia Budae
 470 Hospitia in longo dudum exoptata labore.
 Hic vero immensi plausus, hic omnia plena
 Laetitiae atque novo fervent sola tota triumpho.
 Regem Ulaslaum magnique illustria gesta
 Hunniadae resonant colles vallesque propinquae.
 475 Hos protectores patriae et praesentia rerum
 Auxilia inclamant omnes; his prospera divum
 Fata et successus longos per templa precantur.
 Vidit et obstupuit captiva in sorte Carambus
 Ante alios Asiae regnatae maxima quondam
 480 Gloria, nunc fati nimium inconstantis imago.
 Ecce autem e tantis rerum successibus ampla
 Auxilia adiungunt regi se firmaque in hostes
 Faedera panguntur Latio et Germana per arva.
 Ducitur Argolico classis Romana profundo
 Hellespontiacasque ad fauces agmina sistit.
 Contra autem infelix et fatis debitus ipsi
 Rex sua castra movet Thracumque asperissima regna
 Iam superat Varnaeque infausta ad iugera tendit.
 Ah miserande nimis princeps, quo immitia fata
 490 Te rapiunt? quin pugnam omnem nunc respue et illud
 Ipse tibi populisque tuis averte periculum!
 Haud licitum invitis moliri prospera divis.
 Hosti pacta fides alto sub nomine Iesu:
 Tune fidem hanc hosti rumpes sub nomine tanto
 Sacratam? heu, tantum non fert ludibria nomen
 Nec tibi tam prudens Latii persuadeat autor.
 Iamque Amurathes vastum produxerat agmen
 Pugnaque miscetur nec diis nec viribus aequis.
 Inseruit medios sese Uladilaus in hostes,
 500 Impatiens animi ac multos virtute superba
 Prostravit domitor; tandem inter caedis acervos
 Procubuit pulchramque animam cum sanguine fudit.
 I, memorande heros, i splendida ad atria caeli!
 Quicquid id est, seu te casus, seu numinis ira
 505 Abstulerit nobis, certe pro nomine Christi
 Proque fide ac patria subiisti haec horrida fata
 Et tua perpetuis dicenda est gloria seclis.
 Hunniades tanto percussus denique casu
 (Ne tota Ungariae trepidantis ab omine laevo
 510 Spes caderet) se Danubii convertit ad amnem
 Hostilique suas deduxit ab orbe cohortes.
 Tandem inter patrias urbes nova robora supplet
 Vimque animis addit nec vix sibi temperat ipsi,
 Frigida donec hyems sub terras acta recedat,
 Evocet ac validas caeli indulgentia turmas.

- Iamque iter ad Mysos caeptum est; hic inter eundum
 Fama refert diros ad Savi flumina Turcas
 Ingruere atque oram miseris urgere rapinis.
 Nil ipse inferior, regis nil caede subactus
 520 Processit contra atque adversi in fluminis ora
 Longe a Turcarum castris se prodidit hosti.
 Nox erat et pugnam secum decreverat heros.
 Ergo ignes varios per castra immota parari
 Iusserat, ut visa nocturnas luce per umbras,
 525 Securos omni accessu iam redderet hostes.
 Interea Savi oppositas exercitus undas
 Transiit extremaeque ad fida silentia noctis
 Ante expectatum Geticis stat in ordine castris.
 Continuo exoritur caedes; furibunda virum vis
 530 E somno atque metu plenis intercidit arvis
 Atque catervatim letho involvuntur acerbo.
 O quantis stimulis, quanta dulcedine cordis,
 Uladilaë, tuos manes iam vindicat ille
 Intrepidus victor! quot fortia corpora mactat
 535 Inferias umbris! ut non te liquit inultum!
 Nec certe abscessit, donec fusique fugatique
 Oppetiere hostes et praeda insignis ademta est.
 Iamque Ladislaum patrio gens Ungara regno
 Sufficiunt regemque novum de more salutant
 540 Alberto prolem genitam post fata parenti.
 Et, quia tanto oneri non par haec mollior aetas,
 Ipse gubernator populis rebusque gerendis
 Ante alios omnes legitur Corvinus et amplam
 Pro puero curam ingreditur regnique labores.
 Ergo, ubi iam internos animo solerte furores
 Conciliat, pacata domi iamque omnia sistit;
 Nil minus externos animum convertit ad ausus
 Cunctaque bellorum prudens circumspicit usu.
 Et nunc fama refert Martis nova fervere caepta,
 550 Magnum Amurathen Asia Europaque potentem
 Contraxisse manum, iam fata extrema minari,
 Nulla inopina mali facies; haec providus ante
 Senserat atque ultro spes ardescebat ad arma.
 Mox undena hominum bis millia stipat in hostes,
 555 Corda quidem egregia, at tanto longe infima caetu.
 Iamque per invidas Rasorum principis oras
 (Quem nulli hortatus socia excivere sub arma)
 Agmina deducit hostiliaque occupat arva.
 Pone subit rector Scythicus, quaque efferus ille
 560 Exultat, legit hic gressum sequiturque virum vir.
 Bulgariae in campis latum se effundit in aequor
 Planities; vicina cohors dixere Cosovam;
 Frondosi circum vallant hanc undique montes.

- In medio collis se ostentat vertice ad altum,
 565 Schitniza quem placidus lambit declivibus arvis.
 Huc iter ambobus certum est; prior aequore vasto
 Hunniades abiit mediique accommoda collis
 Praeripuit latera, ut venientem ad faedera nota
 E tractu Illyriae expectaret Scanderobechum.
 570 Verum Amurathes, densae qui grandinis instar
 Fundebat socios spatiosa per arva, morantem
 Non tulit hic hostem, sed quavis improbus arte
 Vique omni irritat pugnamque insultibus urget.
 Tandem igitur, dum nulla via est discrimina tanta
 575 Proferre ulterius, socios hortatibus audax
 Hunniades stimulat firmatosque ordine certo
 Ire iubet campis ac primo occurrere Marte.
 Rursum etiam in tuto disponit fortia colle
 Praesidia et currus stipat tormentaue fida.
 580 Iamque arvis mediis geminum se effundere cornu
 Et forti in rabidos dextra decernere Turcas.
 Undique fit caedes; natat horrida terra cruore.
 Ipse Amurathes cernens utroque suorum
 Ex latere infaustos obitus labefactaque corda,
 585 Sufficit auxilia et vim largis viribus auget.
 At nostri in medium cuneum se avertere iessi
 Incipiunt, qua turmae equitum tutamina praebent,
 Et numero immani multa virtute resistunt.
 Tandem etiam auxiliis vicino e colle receptis
 590 Instaurant cladem rigidoque horrentia ferro
 Corpora prosternunt et caeco Marte vicissim
 Occumbunt miserī, sed longe est saevior hosti
 Tempestas, ridetque magis fors integra nostris,
 Donec nox pugnam dirimat tenebrasque refundat.
 595 Postera iamque dies rutilo nova praelia ab axe
 Suadebat castrisque viros revocabat utrisque.
 Procedunt acies; fixum est hic ultima rerum
 Tentare et nullam lethi exhorrescere sortem.
 Christiadae exigui numero, sed vivida bello
 600 Pectora nequaquam turmarum haec tanta pavebant
 Agmina, sed laetis animis in funera abibant.
 Multi etiam hesterno conflictu vulnera passi
 Monstrabant acres animos ipsumque dolorem
 Aut morte aut pulchra vindicta explere parabant.
 605 Concurrunt firmis animis; subit aspera clades,
 Dum nihil hi cedunt atque illi fortius instant.
 At Turcae infractas vires ac corda tuentes
 Nostrorum obvertunt lusus et callida furta.
 Ordinibus primis equitum rapidissima turba
 610 Avolat atque fugam latos praetendit in agros.
 Ungara gens sequitur passim statione relicta

- Atque hic atque illic arreptos caedere pergunt.
Mox glomerata cohors versis prorumpit habenis
Palantesque viros mediis succidit in arvis
615 Et socium insigni cum faenore vindicat umbras.
Nec minus in vero conflictu ibi funera miscent
Praecipitesque cadunt nostri Turcaeque furentes.
Sed tamen Ungaricis fors est minus aequa manipulis
Ipsaque nox subiens multos a caede reservat.
620 Tertia lux primo iam se referebat Eo
Constiteruntque acies ambae ad nova caepta paratae:
Educit Valachos Corvini e stirpe profectus
Zecheles duroque animo sese hostibus infert
Et pugnam renovat monstratque interrita corda.
625 Sorte pari dudum pugnatum est; inde cadit spes
Et miser ante alios Zecheles funera perfert;
Intereuntque alii proceres turbataque signa
Sternuntur fugiuntque ducum post fata cohortes.
Ipse Amurathes fortunae hoc munere viso
630 Una omnes populos, quos secum adduxerat, una
Ire iubet subito trepidisque instare tumultu
Et premere et nusquam rabido cessare furore.
Illicet obruitur numero gens parva caduntque
Ductores miseri turbataque ab ordine toto
635 Cornua bina gemunt nec spes subit ulla nec ullae
Iam vires, sed tota labant examina humique
Sternuntur penitus, quos non fuga praeripit hosti.
Ah, quis vim tantam sine pauca sorte quietis
Sustineat ternas lucas tantosque labores
640 Nec ruat in praeceps fatoque urgente fatiscat?
Non tamen haec illis sine multo sanguine venit
Gloria, namque fere triginta quatuor ollis
Millia caesa virum, cum ex nostris partibus octo
Millia vix terram peregrinam corpora sternant.
645 Schitnisa, tu testis rerum, tua flumina longum
Faeda cadaveribus torpebant accolaque ullos
Haud pisces hamo vel quavis arte petebat.
Territus Hunniades miseranda clade suorum
Communique fuga cedentia signa relinquit,
650 Atque viam rapit e castris ac morte propinqua.
Sic adeo solus fertur per inhospita lustra
Immemor ingrati victus, rerum omnium egenus.
Quarto deinde die gemini subiere latrones
Confectumque fame excipiunt; spolia omnia tergo
655 Denudant; solo pendet crux aurea collo.
Hanc ubi uterque suam vi corripit, excitus heros
Et nihil oblitus dextrae celer abripit ensem
Alterius flictuque caput dstringit acerbo,
Alterum ab amisso socio fugat horrida in arva.

- 660 Inde iter ulterius carpens per tēsqua ferocem
 Pastorem offendit solitae qui ardore rapinae
 Exierat fidens armis, sed tanta nec illi
 Vis animo suberat praesentem invadere praedam.
 Ergo collatis dictis miseratur egentem
 665 Heroa et domui secretae in calle remoto
 Adducit relevatque famem cerealia liba
 Ponens et caepas et puri pocula fontis.
 Inde ita curatum Syndrovae ad maenia ducit.
 Huius in adventu Mysorum regulus asper
 670 (Infidus genti Ungaricae post commoda longa)
 Depreſsum vinclis retineri edicit amicum.
 Nec patriae emittit sub regna optata, priusquam
 Sponderet nati charae connubia gnatae.
 Fit faedus, sed non mens haec est firma coacto.
 675 Iamque e carceribus Segedini fertur ad urbem;
 Conveniunt proceres et charae copia turbae;
 Solantur reducem maestumque amplexibus ultro
 Exorant semet rebus servare futuris
 Et tristem ex animo constanti avertere casum.
 680 Sat fusos perhibent hostes facilemque suorum
 Iacturam, numeros si quem conferre iuaret,
 Et reducem imprimis patriae numerare parentem.
 Non ducis ignavi culpa, sed numinis ira
 Ista geri et meliora piis fore fata deinceps.
 685 His ille admonitus dictis mentem erigit ardens,
 Ultricesque agitat flammās; subit ira pudorque
 Et contra sortem luctantem conscia virtus.
 Ergo quamprimum facinus crudele superbi
 Stat punire ducis, reducem qui carcere iniquo
 690 Abdiderat; vires atque arma infesta parantur.
 Itur in ingratos populos; furit undique flamma
 Et ferrum; pereunt agri, capta oppida, vici.
 Quicquid in Ungaria positum est sub principe Myso,
 Vi capitur; deinceps Rasorum in iugera tendunt
 695 More pari. At trepidus despotes turbine tanto
 Contra oratores et multo munere mittit
 Depositam sobolem pro pignore Ladislaum
 Ac pacem exorat commotaque pectora placat.
 Ecce Amurathes Mysi nova gesta tyranni
 700 Advertens animo exarsit spem denique tantam
 Posthabito sese vanas abiisse sub auras
 Hunniādenque suae genti prolemque remissos.
 Aestuat atque acrem Frigibechum exire levesque
 Hos ausus multo iubet infestare furore.
 705 Ille abit ad Moravae ripas omnemque tumultum
 Dissimulat veteremque immensis molibus urbem
 Crysovici instaurat, bello quae eversa iacebat.

- Hinc ubi res tuta est, vocat improvisa repente
 Auxilia atque agros Rasorum invadit et ipsum
 710 Despoten multa rabie insultuque fatigat.
 Territus ipse malo instanti, quem laeserat ante,
 Hunniaden supplex orat divertere culpam,
 Oblitumque iras, veteri succurrere amico.
 Praeposuit patriae vicinorumque salutem
 715 Privatis furiis et lecto milite praeceps
 Ad Mysos penetrans castra auxiliaria iunxit.
 Inde simul gressus urgent noctuque dieque
 Ante expectatumque invisus hostibus adsunt.
 Mane novo cernunt aciem procedere Turcae
 720 Signaque iam medio in campo Corvina volare.
 Illicet exoritur trepidus pavor; omnia late
 Replentur fremitu insano et formidine caeca.
 Nec iam animus Turcis bello disponere turmas
 Aut conferre manum, sed cuncti ex ordine denso
 Se retro rapiunt cursuque evadere certant.
 Insequitur volitans equitum globus ipsaque in arvis
 Arrepta hic illic prosternit corpora ferro.
 Nec requies, donec nocturna in lumina caedem
 Exaequant paenasque atroci e sanguine sumant.
 730 Ipse ferox generis ductor cum pube superba
 Nobilium exceptus Frigibechus vincula perfert
 Atque in sorte nova fastus iam ponit acerbos.
 Ipse autem Hunniades victor sub Bulgara tendit
 Arva ac Budini flamma et vi disiicit urbem,
 Quae crebro belli causas hinc inde serebat.
 Mox per Rasorum rediens iuga libera ab hoste,
 Captivas turbas despoti donat ovansque
 Cum laude insigni subit altae maenia Budae.
 Interea Alberto genitum patre Ladislaumi,
 740 Haeredem Ungariae regni sub flore tenello
 Bis senos secum Caesar Fridricus in annos
 Nutrierat curaque insigni et amore fovebat.
 Saepe illum populi atque haeredis debita regna
 Urgebant, sineret patriis succedere terris
 Imbellemque suos regere atque assuescere curis,
 Nec vi nec precibus crebris tamen ille movetur.
 Ast, ubi iam Austriacae gentes durique Boëmi
 Ungaricaeque manus Friderico haud vilia bella
 Intentant, patriae liber dimittitur haeres
 750 Praesentique graves tandem levat ore tumultus.
 Ergo, ubi speratae Ladilaus tecta Viennae
 Iam subiit, proceres e latis undique regnis
 Conveniunt pueroque decus gratantur avitum
 Cumque exoptato consultant plurima rege.
 755 Adfuit Hunniades ac caetu primus in ipso

- Ungariam charo regi commendat et omne
 Obsequium spondet gentis, quin munera gesta
 Atque gubernaculum exactum bis quatuor annos,
 Per tantas curas submisso more reponit
 760 Libertatem orans placide requiemque laborum.
 At rex muneribus fidum decorabat opimis
 Tutorem patriae tituli addebat honorem
 Bistricii comitis regnique assumere curam
 Vicinos contra insultus, velut ante, iubebat.
 765 Ille novo insignis splendore ac rebus abundans
 Omnem animi curam patriae disponit amori.
 Iamque ferox vita decesserat Amurathes
 Et patris imperii Mahumetes sceptrum gerebat,
 Crudelis gnatus, superans feritate parentem.
 770 Ecce novas belli causas hinc tentat et inde
 Finitimosque omnes indigno more fatigat.
 Quin ipsam castris positus nunc occupat urbem
 Byzanti et longo Graiis defensa labore
 Maenia perrumpens victoris sorte potitur.
 775 Urbs eversa iacet, Turcae dominantur in arce
 Imperiumque aliud victi experiuntur Achivi.
 Omnis ab hoc casu lugubri Europa gemiscit
 Et tristem extremi populi metuere ruinam.
 Ipse sacer Romae antistes de gente piorum
 780 Sollicitus quasunque artes praesumit et ipsam
 Pannoniam imprimis tutari exquirat ab hoste.
 Ergo per reliquos ausus et fida reperta
 Eloquio ac pietate gravem meritisque valentem
 Capistranum aris sacris divoque dicatum
 785 Francisco externas longe lateque per oras
 Emittere, subitum auxilium et tutamina larga
 Cogere hic illic dirosque armaret in hostes.
 Nec res illa quidem caruit successibus amplis.
 Ast nimium elatus Mahumetes sorte secunda
 790 Ardescit secum Graiamque effrena sub Albam
 Castra movet; ripam sinuosi interritus Istri
 Atque oram Savi transversa milite complet.
 Quin etiam, ne quid rerum auxiliare per undas
 Ferretur, geminos multa rate clauserat amnes
 Atque urbem e fluviis et ripa utraque petebat.
 Omnis in Hungaria populo spes irrita habetur.
 Ipse Capistranum socium sibi deligit ardens
 Hunniades fortique manu iam classe parata
 Ad charas gentes prono defertur ab amne.
 Iamque e conspectu castellum se obtulit urbis,
 Quod dudum assiduo tormenta insana furore
 Quassabant circum trepidique, heu, robore parvo
 Interius cives praesentia fata videbant;

- Hic nullam effugium, vitae spes nulla relictā.
 805 Indoluit casu atque animos simul extulit heros
 Maturare viam et socios in morte tueri.
 Armisonos equites utroque in margine ripae
 Danubii stipat classemque in flumine lato
 In duo divisam nunc cornua pergere mandat
 810 Et terra atque undis gressus servarier aequos.
 Sic ille oppositam Turcarum invadere classem
 Instigat fortique exemplo concitat omnes.
 Iamque catenatae vinclis per mutua nexis
 Concurrunt puppes; remi proraeque minaces
 815 Franguntur strepitusque virum clangorque tubarum
 Et tormentorum furiosa tonitrua flictusque
 Armorum caelo reboant terraque resultant.
 Hic furor, hic caedes, hic vulnera dira pavorque
 Et virtus simul et tristissima mortis imago.
 820 Undique purpureus tumidum cruor inficit amnem
 Et solitum occludunt prostrata cadavera cursum.
 Insilit ante alios primam pater ipse carinam
 Hunniades caeditque viros; tum more superbo
 Certatim socii irrumpunt, hic praelia et illic
 Commiscent feriuntque manu et caede omnia complent.
 Donec ab instanti classis conversa periclo
 Turcarum inclināt sese atque abducere retro
 Incipit imbelles socios; tunc denique clades
 Horrida, tunc toto fugientes gurgite passim
 830 Sternuntur fundoque rates vertuntur et hostes.
 Ipse hac insigni palma laetissimus heros
 Ingrediturque urbem et sperata levamina praestat
 Et victum et socios addit: fessamque per arcem
 Solatur cives ac res sperare secundas
 Hortatur secumque ultra durare labori.
 At furiis gliscens Mahumetes luce sequenti
 Nil minus instructam multa vi nititur urbem
 Eripere et laudem meritis auferre trophaeis.
 Ergo omnes cuneos uno molimine in urbem
 840 Immittit requiemque adimit certantibus omnem,
 Ut corda assiduo expugnet lassata labore.
 Fortiter utroque e numero per maenia strata
 Et super ingentes pugnatur caedis acervos,
 Dum nihil infracti Turcae iam cedere, at illi
 Nil patriae intentant animis iam deesse saluti.
 Sors incerta diu est: nunc hi, nunc fortibus illi
 Auspiciis vincunt, victi mox terga reflectunt
 Victoresque cadunt saevitque licentia ferri.
 At rabie infrendens Mahumetes ultima rerum
 850 Advocat auxilia atque ingentem per fora lata
 Immittit pubem civesque evertere mandat

- Aut, si nulla via est, mutato erumpere gressu
 Atque fuga incautos campo producere aperto.
 Extemplo res est tentata, sed omne periculum
 855 Prospiciens summa solers Corvinus ab arce,
 Decurrit procerum magno cum robore et hostes
 Aggreditur fortique manu subvertit et extra
 Maenia propulsat; tum maxima turba piorum
 Erumpunt simul ac fugientes aequore toto
 860 Prosternunt animosque fuga viresque resumunt.
 Ipse Capistranus fraudes Mahumetis ab alto
 Cognoscens subito accurrit sociosque ruentes
 Intra urbem monitis revocat suadetque receptus,
 At nihil abstinuit furor atque interrita virtus.
 865 Ergo atram ingeminant caedem et nunc Turcica castra
 Ad Savi ripas magno molimine turbant
 Et flammās iaciunt ac laeto Marte fruuntur.
 Ipse a longinquo Mahumetes dira reducit
 Agmina sub muros ingressumque obstruit urbis
 870 Et caedem tentat speque exardescit inani.
 Erumpit prior Hunniades atque aerea longe
 Munimenta ferox intercipit; inde tonantes
 Obstruxit clavo cannas partimque sub ipsos
 In reditu optato convertit providus hostes.
 Irruit huc rapidus Mahumetes ipsaque versa
 Perniciem in propriam spectat tormenta fugamque
 Mox rapit in latos campos; cum strage suorum
 Crudeli hic vanos ausus deplorat ademtis
 Iam castris Asiae atque infausta caede peracta.
 880 Interea cum iam noctuque dieque labori
 Indultum foret ac fessis iam palma retenta,
 Hunniades victor socios ad chara reducit
 Maenia et excipitur servata charus in urbe
 Protector patriae fusoque ex hoste triumphat.
 885 At procerum audita Mahumetes caede maligna
 Indoluit graviter nocturnasque inde per umbras
 Ad Macedum tractus castra infelicia movit
 Deposito fastu atque ulla sine laude recedens.
 Sic ille insignis fidei patriaeque labantis
 890 Defensor sese toties crudelibus ausis
 Turcarum opposuit diroque avertit ab hoste
 Oppressos populos. Quoties fera vulnera membris
 Accepit propriis, quoties frigusque famemque
 Atque sitim et soles rapidos ac mille labores
 895 Sustinuit, donec tandem post multa trophaea,
 Post duros casus aeternaque praemia famae
 Defessus nimis curis longoque labore
 Pulchram animam caeli pius expiravit in arces.
 O quantos gemitus, o quae suspiria liquit

- 900 Gentibus attonitis? quo regna externa dolore
 Atque interna simul lugebant funerè ademtum?
 Nec vero Geticos domuit tantum ille furores
 Et fidei causa se obiecit mille periclis,
 Verum omnem molem dextra armipotente repressit,
 905 Quae sese Ungariae terris adversa ferebat.
 Ergo, ubi post obitus Alberti regis acerbos
 (Tradita qui geminos vix gessit sceptrā per annos)
 Ungariae regnum studiis discordibus ultro
 Fervebat geminosque sacro diademate reges
 910 Ornabant distracti animi, tunc providus ille
 Pro patriae incolumi sorte auspiciisque secundis
 Regi Ulaslao fidum se iunxit amicum
 Et tenero infanti Ladilao ad tanta pericla
 Praeposuit iuvenem spectatum robore et armis.
 Iamque furor gentes bella in cognata vocabat,
 Utraque turba suum regem dum Marte tuetur.
 Est in Pannoniae longinqua parte sacratus
 Relligione locus, Zegsardum nomine dicunt;
 Huc sua castra locant acies, quae infausta tenelli
 920 Signa Ladislai patrio pro haerede sequuntur
 Atque feros tentant ausus Martemque lacesunt.
 Mittitur Hunniades adversa e parte Poloni
 Regis, ut audaces animos atque efferā caepta
 Contundat patriaeque piam post bella quietem
 925 Restituat, quoniam furor idem invaserat omnes.
 Vix erat ad patrios hostes lato aequore ventum,
 Corpora curantur caedesque utrinque paratur.
 Iamque dies geminas acies ad dira vocabat
 Praelia; concurrunt insano more cohortes
 930 Et socios quondam caedunt civesque vocatos,
 Non secus ac Turcis si immanibus arma parentur.
 Neutra loco cedit virtus; cruor undique campis
 Profluit et fremitu morientum terra gemiscit.
 At sors Hunniaden respexit blandior; ille
 Pugnantem e laevo cornu et fervore ruentem
 Inflexit Garam fugientiaque agmina tergo
 Prostravit late atque audacia corda repressit.
 Quo facto socii impulsī durique Poloni
 Acrius incurrunt atque hostem ardentibus omni
 940 E latere impellunt studiis; tum denique caedes
 Horrida, tunc fuga fit totumque avertitur agmen
 Ungaricae gentis, quod iam pro rege tenello
 Exierat pugnae atque animas fundebat in arvis.
 Ipse autem Hunniades victor laetantia circum
 945 Agmina per longos tractus ducitque novoque
 Nutantes populos regi confirmat et omnem
 Providus avertit discordi a gente furorem.

- Hinc a rege novo Budae sub maenibus altis
 Insigni excipitur plausu victorque rebellis
 950 Rite salutatur populi pacisque reductor.
 Quid memorem, ut Draculam violentem iura penatum
 Hospitiique fidem paenis mulctarit acerbis?
 Ille quidem e pugna redeuntem et clade sinistra,
 Ah, miserum, exutum castris, rerum omnium egerum
 955 Excepit sociis tectis, sed denique amicum
 Contra aequi leges indigno carcere claudit
 Et tandem patrias facti pertaesus in oras
 Dimittit. Sed non hic talia passus inulte est;
 Milite cum lecto rediit Valachosque superbos
 960 Aggreditur dominumque ipsum (qui iura fidemque
 Nil ante erubuit) deleta protrahit urbe
 In medios, caput infidum a cervice revellit
 Pollutae fidei mansura exempla relinquens.
 Quin etiam Giscrae subeunti e gente Bohema
 Restitit ac regnum diro est tutatus ab hoste.
 Duxerat hic vastum patriis a finibus agmen
 Latronum, immanem turbam transque ipsa fluenta
 Danubii late raptos possederat agros,
 Atque loca indignis turbabat cuncta rapinis.
 Ivit in adversum Hunniades rabiemque nefandam
 Agminibus lectis tendit propellere regno
 Iamque acies ambae campo ducuntur aperto
 Ad caedem et pugnae sortem; iam perfurit hostis.
 Ecce e composito versae fugere phalanges
 Corvini atque ducem ficto liquere timore
 In Martis medio discrimine; praevaluit nam
 Obliqua invidia et procerum corrupta voluntas.
 Saevit in adversos ingenti milite Giscra
 Inque fugam totum Corvini disiicit agmen
 Et multos tergo insultans conculcat in arvis.
 At pater Hunniades fatiis urgentibus actus
 Praecipiti defertur equo ad vicina suorum
 Oppida et in tuto sese ad maiora reservat.
 Tandem igitur vires dolor et pudor auget in hostem
 Vindictamque acri stimulo per pectora versat.
 Praesidia extremo regni sub fine locata
 Advocat, antiquos socios, exercita bello
 Pectora et haud unquam fugitivo assueta pavori.
 Sic ille ingentem numerum condensat et omnem
 990 Virtutem exacuit, casus quae eludat iniquos.
 Mox a principio castella erecta latronum
 Oppidaque intercepta olim furialibus ausis
 Indomiti Giscrae premit obsidione potenti
 Atque omnem exuperat diversa in parte receptum,
 Quo latitans hostis damna exitiosa struebat

- Vicinis populis; hoc omne extorquet asylum.
Hinc ipsum in Giscram caput autoremque malorum,
Arma movet, sic sicque instans sectatur et urget,
Ut pacem precibus magno a victore requirat
1000 Et subeat leges, quas non speraverat ante.
Sic ille indomitam vim demonstrabat in armis
Nec casu infausto frangi se posse docebat.
Talia pro patria, pro sacris strenuus aris
Sustinuitque heros causaque evasit ab ipsa
1005 Victor ovans nec sese invito numine ferri
Per tantos ausus sensit, per tanta pericla.
Nam licet invidia multorum ob fortia facta
Praeclarumque decus premeretur, non tamen unquam
Destitit inceptis aut fulmine sortis iniquae
1010 Succubuit, sed se semper magis arduus altam
In laudem et patriae pulcherrima commoda totis
Viribus erexit vicitque adversa ferendo,
Ceuique ramos fert in sublimia palma
Atque oneri cedit nulli nec lassae recumbit,
Sed vexata malis semper se audentius effert.
Ergo illi meritis aeterna in secula laudes
Posteritas celebrat defensoremque piorum
Et patriae ingenti extollit super aethera plausu
Et cunctis longe praefert heroibus, olim
Quos Roma evexit caelo ob praestantia facta,
Quorum iam nostris vivunt quoque nomina terris
Illustresque animas exemplo hortantur ad alta.
Sed quis virtutes tantas bellicae togaeque
Edoceat dignis numeris? quis talia fando
Mole gravi rerum non sentiat inclinatam
Eloquii vires ac se contendere frustra?
Non ego, si immensi flueret mihi vena Maronis,
Si concessa foret Smyrnaeae gratia linguae,
Annuerem, pater Hunniade, me aequare canendo
1030 Posse tuas laudes, rerum tua maxima gesta
Et dona illa animi, quibus te natura Deusque
Dotarant superantem alios in luce corusca,
Ceui superat stellas radianti Lucifer orbe.
Sed quicquid canimus, gratos debere fatemur
Nos tantis meritis, quibus ardentissima virtus
Usque sub extremam mortem fida agmina Christi
Affecit totique Europae occurrere sponte
Gavisa est propriae dispendia ad ultima vitae.
Ignoret quis enim? te post fera praelia ad Albam
(Hic, ubi pugnasti vicens quatuor horas
Terroremque orbis Mahumeten victor ab urbe
Obsessa egisti immensa cum caede suorum)
In diram febrim nimio exarsisse labore

- Atque animam paulo post expirasse sub astra?
1045 Tanti cura fuit patriae servire Deoque.
Ergo, anima illustris, post haec tua gesta beato
Congressu superum frueris caeloque triumphas,
Nos autem in terris tua facta ingentia semper
Cantamus memores meritosque novamus honores
1050 Teque exemplo aliis sero proponimus aevo,
Ut simili tendant ardore exurgere factis
Et magno assuescant rem Christi corde tueri.
Quin ultra innumeras dotes benefactaque tanta
Hoc etiam adiicimus, quod post tua fata benigno
1055 Caelestum dono liquisti nobile pignus,
Matthiam intrepidum, magni vestigia patris
Qui ingressus didicit vastis se offerre periclis
Atque hostes domitare manu et virtutibus altum
Exercere animum, nulli succumbere moli.
1060 Hic etiam unamini consensu ad regia sceptra
Ungariae electus gessit diadema sacratum
Insigni laude et miro sibi iunxit amore
Devinctos populos terroremque hostibus atrum
Incussit dextra felix et Marte togaque.
1065 Quo fessum rapitis, Matthia o magne paterque
Hunniade? o, vastis quanta haec sunt nomina terris!
Quanta per Ungariam virtus his edita dextris!
Vivite felices animae per sydera Olympi
Proque piis meritis caelestum praemia habete;
1070 Nos vero immensam virtutem et nomina vestra,
Perpetuo gratis animis memorabimus aevo
Vestraque ponemus seclis exempla futuris.
-

ANNOTATIONES CRITICAE.

corr.: correctum s. correxit; ras.: rasura; s.: sive; s. m.: secunda manus; Corvinus ipse.

Tit. Elias—Turcas] Ioannis Hunniadae res bellicae contra Turcas per Eliam Corvinum celebratae 2. classis corr. e classit 10. antiquas corr. ex antiquis 25. assultu corr. ex assaltu 64. meritis rebusque corr. e rebusque meritis 82. virum in corr. 125. manus in corr. 138. insana in ras. - 141. reliquis corr. s. m. e ceteris - 170. faustiss. - 182. turpissima corr. s. m. e turpissime - 183. acervos corr. s. m. ex acerbos - 189. trophea - 197. humeroque] numeroque - 217. intra iubet corr. ex iubet intra - 245. in tuta corr. ex intuta 250. exempta 265. moveri corr. s. m. e moneri 287. socios corr. s. m. e sociis 296. fortiss. 312. omnes in corr. - 334. inter animis et laetis verbum quoddam, quod iam certo legi nequit, deletum 336. lethoque corr. e laethoque - 338. pelli corr. s. m. e pello - 342. reliquum, e in ras. 344. miseris ceciderunt in ras. 367. ad geminos in ras. 370. Ceptum 375. retro corr. s. m. e retri 386. ante corr. ex ultro 388. laetas (as in ras.) corr. e laetus 403. clinosa 427. exemplum corr. ex exemptum - 429. caepta corr. s. m. e cepta 430. prioris corr. e priores 436. laborque corr. s. m. e labesque 439. virtus corr. s. m. e vitur 445. relegebat corr. e retegebat 448. propugnacla corr. s. m. e propugnacula 505. certe corr. e certi 509. levo 510. amnem in corr. 531. letho corr. e laetho 559. subit corr. e sibi s. sibit 562. Cosonam 598. lethi in ras. corr. e laethi - 622. stirpe in ras. 665. calle in ras. - 706. immensibus - 707. Crysonici 709. agros corr. ex agro 751. Ladilaus corr. posterius e Ladislaus 758. quattuor 767. decesserat, de in ras. corr. s. m. 792. oram corr. s. m. ex ora 795. fluviis corr. e fluvis 819. tristiss. 822. primam corr. s. m. e saevam - 839. molimine corr. e molimene - 855. summa corr. s. m. fortasse e savena - 860. resumunt, r in ras. - 870. exardescit corr. s. m. ex ardescit - 882. victor in ras. - 890. ausis, is in ras. corr. fortasse ex ausus 900. attonitis corr. s. m. fortasse ex attonitos - 904. armipotente corr. ex armitotentē - 907. vix corr. s. m. e non - 920. haerede corr. s. m. ex herede - 932. cedit, ce in ras. corr. s. m. - 952. Hospitiiue corr. e Hospetiiue 955. sociis corr. s. m. e socii 992. olim, l in ras. corr. ex osim 1009. incaeptis 1027. im-mensi corr. s. m. ex immenso - 1029. Annucrem - canendo corr. e carendo 1035. ardentiss. 1064. faelix

INDEX NOMINUM.

i. e.: id est — s(ive) — v(ide)

- Achivi (v. Graii) 776
 Aegaeum mare v. Argolicum
 Alba Graia (v. Belgradum) 70, 790, 1039
 Alba Iulia (s. Alba Iulia, Gyulafehérvár, civitas in Transsylvania) 106 — 107
 Albani campi 74
 Albertus (rex Hungariae 1437—1439) 41, 49, 540, 739, 906
 Alpes (i. e. montes) 187
 Alpinus tractus 229
 amicus (v. Hunniades) 671, 955, — (v. despotes) 713
 Amurathes (Murad II. imperator Turcarum 1421—1451, v. Scythicus rector) 58, 103, 210, 497, 550, 583, 629, 767
 antistes (Calixtus III. papa 1455—58) 779
 Argolicum (mare, mare Aegaeum) 484
 Asia 479, 550, 879
 Austriacae gentes 747, Austriaci colles 9
 autor (Eugenius IV. papa 1431—47) 496
 Belgradum (v. Alba Graia) 469
 Bistriciūs comes (v. Hunniades) 763
 Boëmi 747
 Bohema gens 954
 Branković, Georgius v. despotes
 Buda 290, 303, 469, 738, 948
 Budinum (Viddin, oppidum in Bulgaria) 734
 Bulgara arva 733
 Bulgaria 306, 363, 561
 Byzantium 773
 Calixtus III. papa v. antistes
 Capistranus (Iohannes, postea sanctus, 1386—1456) 784, 797, 861
 Carambus (Kara Celebi, beglerbegus Anatoliae) 379, 397, 414, 424, 478
 Castriota, Georgius v. Scanderobechus
 Christiadae 3, 86, 599
 Christicolae 445, — arae 236
 Christus (v. Iesus, dux) 237, 298, 353, 505, 1036, 1052
 Chrysovicum v. Crysovicum
 Corvina signa 720, — virtus 293
 Corvini (gens Romana) 29
 Corvinus (Iohannes, v. Hunniades) 20, 64, 94, 136, 140, 156, 202, 385, 434, 543, 622, 855, 975, 979
 Cosova (s. Cossovo, campus in Serbia, Kosovo Polje) 562
 Crysovicum (Chrysovicum; Krusevac, oppidum in Serbia) 707
 Cunobizum (mons; Kunavica, in Bulgaria) 431
 Daci, 57, 304
 Danubius (v. Ister) 510, 808, 968
 defensor (v. Hunniades) 890, 1017
 despotes (Georgius Branković, princeps Serborum, 1427—56, v. amicus, dux, Mysus princeps, Mysus tyrannus, regulus) 695, 710, 737
 dominus (v. Dracula) 960
 Dracula (Dragul, princeps Valachorum, v. dominus) 951
 ductor (v. Hunniades) 730
 dux (v. Christus) 238, — (v. despotes) 689, — (v. Hunniades) 151, 355, 683, — (v. Zecheles) 628
 Elisabetha (regina Hungariae, uxor Alberti) 50, — v. gnata (Elisabetha, filia Ulrici comitis Ciliae)
 Eos 620
 Eugenius IV. papa v. autor
 Europa 201, 550, 777, 1037
 Feruz begus v. Frigibechus
 Fridricus s. Fridericus (III. imperator Romanorum, 1440—1493) 741, 748
 Frigibechus (Feruz begus) 703, 731
 Galli vates 4

- Gara (Ladislaus, Garai, palatinus Hungariae 1447—1462) 936
 Georgius (Georgius Lépes, episcopus Transsylvaniae, v. praesul) 126
 Georgius Branković v. despotes
 Germana arva 483
 Getae 204, 270, 449
 Getica castra 528, — signa 197
 Getici furores 902
 Giscra (Iohannes, dux Bohemorum mercennariorum) 964, 978, 993, 997
 gnata (Elisabetha, filia Ulrici comitis Ciliae) 673
 Graii (v. Achivi) 773
 Gyulaféhervár v. Alba Iula
 Haemus v. Hemus
 haeres (v. Ladilaus s. Ladislaus V. rex Hungariae 1440—57) 740, 449
 Hellespontiacae fauces 485
 Hemus (Haemus; mons in paeninsula Balkan) 360, 364
 heros (v. Hunniades) 231, 323, 522, 656, 665, 805, 831, 1004, — (v. Uladislaus s. Ulaslaus I.) 503
 Hungara gens (v. Ungara gens, Ungarica gens) 391
 Hunni 12
 Hunniades (Iohannes de Hunyad [Hungarice: Hunyadi János] natus 1387, gubernator Hungariae 1446—56 v. amicus, Bistricius comes, Corvinus, defensor, ductor, dux, heros, protector, reductor, redux, tutor, victor) 12, 105, 127, 177, 189, 215, 263, 280, 320, 347, 375, 400, 408, 425, 451, 457, 474, 508, 567, 576, 648, 702, 712, 733, 755, 798, 823, 871, 882, 922, 934, 944, 970, 981, 1029, 1066
 Iesus (v. Christus) 493
 Illyria 569
 Ionius pontus 2
 Isach, s. Isachus, s. Isacus (Ishak begus) 56, 68, 76, 88, 97
 Isfer (v. Danubius) 9, 73, 223, 791
 Itali vates 4
 Iustinianus (imperator 527—65) 309
 iuvenis (v. Uladislaus s. Ulaslaus I.) 914 — de stirpe Kemena (Simeon [Hung.: Simon] Kemény) 142
 Kara Celebi v. Carambus
 Kemena stirps (iuvenis de stirpe Kemena: Simeon [Hung.: Simon] Kemény) 142
 Kemény Simon (Lat.: Simeon Kemény) v. iuvenis de stirpe Kemena
 Kosovo Polje v. Cosova
 Krusevac v. Crysovicum
 Kule Sahin v. Schabadines
 Kunavica v. Cunobizum
 Ladilaus s. Ladislaus (V. rex Hungariae 1452—1457, v. haeres, puer rex) 48, 538, 739, 751, 913, 920
 Ladislaus (de Hunyad, 1433—1457, v. natus) 697
 Latium 483, 496
 Lépes, Georgius v. Georgius, praesul
 Lucifer 1033
 Macedae 221, 887
 Mahumetes (II. imperator Turcarum 1451—1481) 768, 789, 836, 849, 861, 868, 875, 885, 1041
 Maro v. Vergilius
 Mars (v. Mavors) 33, 52, 98, 150, 185, 251, 381, 454, 549, 577, 591, 867, 916, 921, 976, 1064
 Matthias (I. rex Hungariae 1458—1490) 1056, 1065
 Mavors (v. Mars) 39
 Mezethes s. Mezethus (Mezid begus) 103, 110, 135, 180, 195
 Moldava rura 212
 montes v. Alpes
 Morava (amnis in Serbia) 317, 705
 Murad v. Amurathes
 Mysi 57, 516, 669, 716, — Mysus princeps (Georgius Branković; v. despotes) 693, — Mysus tyrannus (Georgius Branković; v. despotes) 699
 natus (v. Ladislaus [de Hunyad]) 673
 Pannonia (v. Ungaria) 10, 209, 781, 917
 Pannonones 31
 Parcae 7
 Polona gens 46
 Poloni 391, 938

- Polonus rex (v. Uladislaus s. Ulaslaus I.) 922
 praesul (Georgius Lépes v. Georgius) 108, 125
 princeps (v. Uladislaus s. Ulaslaus I.) 489
 protector (v. Hunniades) 884
 puer (v. Ladilaus s. Ladislaus V.) 344, 753
 Rasci 556, 694, 709, 736
 reductor (v. Hunniades) 950
 redux (v. Hunniades) 677, 682, 689
 regulus (Georgius Branković v. despotas) 699
 rex (v. Ladilaus s. Ladislaus V.) 539, 754, 756, 761, 942, — (v. Uladislaus s. Ulaslaus I.) 290, 295, 303, 317, 346, 432, 440, 482, 487, 519, 946, 948
 Roma 779, 1020
 Romana classis 484
 Romuleum genus 29
 Rudolfus s. Rudolphus (II. imperator Romanorum 1576—1608, I. rex Hungariae 1572—1608) 14, 26
 Savus (fluvius) 517, 526, 792, 866
 Scanderobechus (Georgius Castrioti, princeps Albanorum 1443—68) 569
 Schabadines (Sehabeddin s. Kule Sahin, beglerbegus Rumeliae) 213, 222, 262, 273
 Schitnisa s. Schitniza (amnis in Serbia prope oppidum Cosovam; Sidnica) 565, 645
 Scythicum genus 56, Scythicus rector (v. Amurathes) 559
 Segedinum (Szeged, civitas in Hungaria) 675
 Sehabeddin v. Schabadines
 Selimus (II. imperator Turcarum 1566—1574) 2
 Semendria v. Sindrovia, Syndrova
 Sidnica v. Schitnisa s. Schitniza
 Simeon (Hung.: Simon) Kemény v. iuvenis de stirpe Kemena
 Sindrovia (s. Semendria, Szendrő, oppidum in Serbia, v. Syndrova) 91
 Slatissa (mons in Bulgaria) 366
 Sophia (Sofia; urbs capitalis Bulgariae) 307
 Smyrnaea lingua 1028
 Syndrova (s. Semendria v. Sindrovia) 668
 Szeged v. Segedinum
 Szegszárd v. Zegsardum
 Székely, Iohannes v. Zecheles
 Szendrő v. Sindrovia, Syndrova
 Tartara 343
 Thraces 487
 Threicii agri 359
 Transsylvani agri 104, 230
 Turcae s. Turci 54, 147, 168, 193, 208, 286, 297, 318, 357, 368, 442, 517, 521, 581, 607, 617, 719, 723, 775, 811, 827, 844, 891, 931
 Turcica castra 865, — sceptrum ac fines 381
 tutor (v. Hunniades) 762
 Uladislaus s. Ulaslaus (I. rex Hungariae et Poloniae 1440—1444, v. heros, iuvenis, Polonus rex, princeps, rex) 46, 196, 348, 473, 499, 533, 912
 Ungara gens (v. Hungara gens, Ungarica gens) 121, 538, 611
 Ungaria (v. Pannonia) 16, 37, 65, 740, 905, 908, 1061
 Ungarica gens (v. Hungara gens, Ungara gens) 670, Ungaricae manus 748, Ungarici manipuli 618
 Valachi 208, 212, 225, 622, 959
 Varna (civitas in Bulgaria) 488
 Vergilius Maro 1027
 victor (v. Hunniades) 99, 190, 351, 534, 949, 999
 Viddin v. Budinum
 Vienna (Vindobona; Wien) 751
 Zecheles (Iohannes, frater Ioannis Hunniadae, banus Croatiae 1445—48, v. dux) 623, 626
 Zegsardum (Szegszárd, oppidum in Hungaria) 908

[SAECULUM XV.]

RM

- Ficinus**, Marsilius, Epistolae, ed. P. O. *Kristeller*. (Apparebunt.)
Galeottus Martius, v. Martius Narniensis, Galeottus.
Hungarus, Simon, v. Barius, Nicolaus.
Ianus Pannonius, v. Pannonius, Ianus.
Martius Narniensis, Galeottus, Carmina, ed. L. *Juhász*. 1932. — — 1.80
 — De egregie, sapienter, iocose dictis ac factis regis Mathiae ad du-
 cem Iohannem eius filium liber, ed. L. *Juhász*. 1934. — — 2.60
 — De incognitis vulgo, edd. L. *Juhász*—T. *Kardos*. (Apparebit.)
 — Epistolae, ed. L. *Juhász*. 1930. — — — — 1.—
 — Iniectivae in Franciscum Philelphum, ed. L. *Juhász*. 1932. — — 2.50
Pannonius, Ianus, Opera, edd. I. *Husztli*—L. *Juhász*. (Excuduntur.)
Philelfus, Franciscus, Sphortias, ed. I. *Fögel*. (Apparebit.)
Ransanus, Petrus, Epitoma rerum Hungararum, ed. L. *Juhász*. (Excuditur.)
Rabenstein, Iohannes de, Dialogus, ed. B. *Ryba*. (Apparebit.)
Savonensis, Guilhelmus, Dialogus, an mortui sint lugendi an non, ed.
 H. *Maschek*. (Apparebit.)
Seneca, Thomas, Historia Bononiensis. Qualiter Galeatius Marescottus
 eques extraxit Hannibalem Bentevolum de carceribus et reliqua
 per utrunque gesta. Carmen epicum, ed. I. *Fögel*. 1932. — — 3.60
Strozza, Titus Vespasianus, v. Saecula XV—XVI.
Valagussa, Georgius, Epistolae, ed. L. *Juhász*. (Apparebunt.)
Vitez de Zredna, Iohannes, Epistolae — Orationes, ed. I. *Husztli*. (Apparebunt.)
Zagabriensis, Georgius Augustinus, v. Barius, Nicolaus.
Zovenzonius, Raphael, Carmina, ed. L. *Smith*. (Apparebunt.)

SAECULA XV—XVI.

- Andronicus** Tragurinus, Matthaeus, Epithalamium in nuptias Vladislai
 Pannoniarum ac Boemiae regis et Annae Candaliae reginae, ed. L.
Juhász. 1933. — — — — — — — — 1.—
Bohuslaus Hassensteinus, v. Hassensteinus baro a Lobkowicz, Bo-
 huslaus.
Bonfinis, Antonius de, v. Saeculum XV.
Canter Frisius Iacobus, Rosa Rosensis, ed. B. *Ryba*. (Excuditur.)
Celtis Protucius, Conradus, Libri epigrammatum quinque, ed. F. *Pind-
 ter*. (Apparebunt.)
 — Libri odarum quattuor — Liber epodon — Carmen saeculare, ed.
 F. *Pindter*. 1937. — — — — — — — — 7.20
 — Ludus Dianae — Rhapsodia. Ludi scenici, edd. Io. *Rupprich*—F.
Pindter. (Apparebunt.)
 — Oratio in gymnasio in Ingelstadio publice recitata. Cum carminibus
 ad orationem pertinentibus, ed. Io. *Rupprich*. 1932. — — — — 1.30
 — Quattuor libri Amorum secundum quattuor latera Germaniae —
 Germania generalis. Accedunt carmina aliorum ad libros Amorum
 pertinentia, ed. F. *Pindter*. 1934. — — — — — — — — 6.60
Fontius, Bartholomaeus, Carmina, edd. I. *Fögel*—L. *Juhász*. 1932. — — 2.—
 — Epistolarum libri III, ed. L. *Juhász*. 1931. — — — — — — — — 4.50
Hassensteinus baro a Lobkowicz, Bohuslaus, Carmina, ed. B. *Ryba*.
 (Apparebunt.)
 — Epistolae, ed. A. *Potucek*. (Apparebunt.)
 — Scripta moralia — Oratio ad Argentinenses — Memoria Alexandri
 de Imola, ed. B. *Ryba*. 1937. — — — — — — — — 2.50

[SAECULA XV—XVI.]

RM

- Nagonius**, Iohannes Michael, Carmina, ed. B. Ryba. (Apparebunt.)
Naldis Florentinus, Naldus de, De laudibus bibliothecae libri IV ad Mathiam Corvinum Pannoniae regem, edd. L. Juhász—S. Mocurski. (Apparebunt.)
 — Elegiarum libri III ad Laurentium Medicen, ed. L. Juhász 1934. — 5.60
Piso, Iacobus, Opera, ed. L. Juhász. (Apparebunt.)
Strozza, Titus Vespasianus, Borsias (Fragmenta) — Bucolicon liber, edd. I. Fögel—L. Juhász. 1933. — — — — — 1.40
Verinus, Ugolinus, Carlias, edd. I. Fögel—L. Juhász. (Apparebit.)
 — Epigrammatum libri VII, edd. I. Fögel—L. Juhász. (Apparebunt.)
 — Panegyricon ad Ferdinandum regem et Isabellam reginam Hispaniarum de Saraceniae Baetidos gloriosa expugnatione, edd. I. Fögel—L. Juhász. 1933. — — — — — 2.20
Warda, Petrus de, Epistolae, ed. B. Iványi. (Apparebunt.)

SAECULUM XVI.

- Bakschay**, Abrahamus, Chronologia de regibus Hungaricis, ed. Fr. Wagner. (Apparebit.)
Corvinus, Elias, Ioannis Hunniadae res bellicae contra Turcas. Carmen epicum, ed. O. Sárkány. 1937. — — — — — 1.80
Crosnensis Ruthenus, Paulus, Opera, ed. A. Kozocsa. (Apparebunt.)
Cybeleus, Valentinus, Carmina — Declamatio de vini et aquae potoribus, utrum hi vel illi laudabiliores sint, ed. M. Révész. (Excuduntur.)
Duditius, Andreas, Epistolae, edd. P. Costil—L. Juhász. (Apparebunt.)
 — Opera varia, edd. P. Costil—L. Juhász. (Apparebunt.)
Frankfurter Pannonus, Bartholomaeus, Opera, ed. A. Vargha. (Apparebunt.)
Illicinus, Petrus, Carmina, ed. I. Ribiczey. (Apparebunt.)
Macedonia, Ladislaus de, Orationes II, ed. E. Szimonidesz. (Apparebunt.)
Magius, Sebastianus, Opera, ed. M. Révész. (Apparebunt.)
Merenda, Livius, Hercules — Seilas (Fragmenta). Ludi scenici, ed. H. Testari. (Apparebunt.)
Olahus, Nicolaus, Hungaria — Athila, C. Eperjessy—L. Juhász. (Excuduntur.)
 — Carmina, edd. I. Fögel—L. Juhász. 1934. — — — — — 2.80
Pannonus, Bartholomaeus Frankfurter, v. Frankfurter Pannonus, Bartholomaeus.
Sambucus, Ioannes, Epistolae, ed. Io. Gerstinger. (Apparebunt.)
Sirmiensis, Georgius, Epistola de perdicione regni Hungarorum, ed. L. Juhász. (Apparebunt.)
Stretzinger, Thomas, Oratio de divo Leopoldo III. Austriae marchione in universitate Vindobonensi habita, ed. H. Maschek. 1934. — 1.—
Taurinus, Stephanus, Stauromachia, id est Cruciatorum servile bellum. Carmen epicum, ed. Z. Császár. (Excuditur.)
Thyrnavinus, Martinus, Adhortatio belli contra Thurcas suscipiendi ad regni Hungariae proceres, ed. Z. Császár. (Apparebit.)
Wolphardi, Adrianus et Hilarius, Opera, ed. Io. Ernuszt. (Apparebunt.)

SAECULA XVI—XVII.

- Istvanffy**, Nicolaus, Carmina, ed. I. Holub—L. Juhász. 1935. — — 3.60